



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

Pars Qvarta. Exercitationes ad patientam speciatim; sive, ad omnimodam  
sui ipsius abnegationem, ex Christi crucifixi disciplinâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

## P A R S I V.

Exercitationes ad patientiam  
speciatim, sive ad omnimodam sui ipsius ab  
negationem, ex Christi Crucifixi  
disciplina.

## C A P U T I.

In Patientia precepta ingressio.



Ngens & acre ad patientiam (quæ nobis inter  
tot adversa, sanè quàm necessaria est) incre-  
mentum & calcar adhibet, JESU Christi in  
Cruce pendentis, & per illam probrorum  
cruentumve acerbitatem pro nobis morientis, contemplato.  
Ut idcirco graviter nos Paulus hortetur, ut omni pondere  
deposito, per patientiam curramus ad propositum nobis irro-  
men: aspicientes, inquit, in auctorem fidei & consummatio-  
nem JESUM, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem in-  
fusione contemptâ. Quem ob finem etiam in verbis sequen-  
tibus, eundem Christum crucifixum, non simpliciter au-  
obiter aspiciendum admonet, sed identidem recogitandi-  
ne qua animis nostris obrepat in adversis fatigatio, sed no-  
gnus potiùs ardor accrescat, cum animo nostro non sine  
rubore reputantibus, nos pro ejus amore & obsequio, non  
dum fudisse vel guttam sanguinis, cum ille pro nobis totus  
torrentes profuderit.

Heb. 12.

Atque hanc materiam jam quidem fortassis aliquæ  
parte delibavimus. Quamquam enim in his exercitijs, quæ  
superiori parte sunt posita, propositum nobis præsertim  
erit, quæ ad virtutes Theologicas, nominatimque ad ardorem

Francisci Le Roy Occupat: Crucifixi Pars IV.

tem Christi pro nobis crucifixi amorem pertinerent, tradere; vitari tamen non potuit, quin eadem operâ, nonnulla ijs de adversorum tolerantia sparsim infererentur aut inciderent, quadam veluti materiarum cognatione. Quippe qui Crucifixi amorem, non mollem illum atque tenerum, commendarem, qui solis alatur divinæ mensæ solatijs, aut dulcibus lacrymis, quasi rore cœli educetur; sed fortè potius atque robustum; qui, cum in malorum pro dilecto constanti patientiâ potissimum eluceat, eâq; re unice sive pascatur, sive probetur; idcirco ab illa non potuit, saltem in totum, tractatione sejungi. Verum enim illud est, quod quodam loco, quem infra referam, disputat Magnus Gregorius: Latam quidem esse charitatem, sed tamen per angusta ducere; quia via DEI (ut idem ait) incipientibus angusta est, quamvis lata sit perfectè viventibus.

Hom. 17. in  
Ezech.

Quapropter & in illo sermone, quem prolixum Christus sub mortem ad discipulos habuit, observare licet, vix aliud quidquam, nisi hæc sibi affinia commendari, charitatem scilicet & constantiam in tribulationibus. Neque sine causa Apostolus duo hæc conjunctim exoptat fidelibus dicens: *Dominus dirigat corda vestra in charitate DEI & patientia* 2. Theff. 3. Christi. Ut enim observant aliqui, charitati DEI adjunxit Christi patientiam: quia hæc est præsertim charitas DEI, si ejus amore multa atque gravia sustinendo, imitemur patientiam Christi.

Veruntamen quando susceptus à nobis præsentis operæ labor, eum potissimum finem respicit, ut (quod est in hoc genere præcipuum) constanti mentis circa Christum crucifixum exercitatione, ipsius exemplo atque respectu, formemur ad patientiam, amorem crucis, nostri contemptum, odium, abnegationem: juvabit deinceps huic rei propria documenta speciatim tradere, idq; argumentum multiplici formâ ac ratione versare; ut hanc cum Christo  
pati-

patiendi artem, omnium difficillimam simul ac pulcherrimam, nobisq; apprimè conducibilem, ac præ cæteris necessariam, si fieri possit, & intelligentiæ nostræ propiore, et infirmitati procliviores reddamus.

Cæterùm, quod in superioribus partim fecimus, ut pleramque nostrarum exercitationum materiam sub allegoria aut alio simili schemate proponeremus: id insequentibus itidem facere animus est, etiam quàm antea studiosius.

Primum: quòd cùm nobis eadem ferè res ac præceptiones perpetuò tradendæ & inculcandæ sint; summa nimirum abnegatio, malorum perpessio, & crucis amor, ad exemplum Domini nostri crucifixi: res ipsa diversè conformanda fuit ac figuranda, ut eà tractandi varietate abstergetur fastidium, quod alioqui legenti inferat simplex eorundem documentorum repetitio.

Deinde: quòd ea quæ hic tradimus, primà ipsà fronte, horrore non parum atque asperitatis habeant: durus quippe sermo est: *Abnega te ipsum, tolle crucem tuam, &c.* Ergo aliqua umbrarum aut figurarum amenitate mitigandus fuit & quasi obtegendus is horror; & severioris disciplinæ asperitas hoc tanquam melle condienda; ut molliter animis illabens, facilius ad intima permeet salutaris præcepti traditio.

Adde: fieri nescio quo modo, ut sermo appositè figuratus, non blandius tantùm ac facilius mentem subintret; sed eandem quoque magis feriat, afficiatq; validius. Id idè in multis seu propheticis dictis, seu tritis sermone proverbij, acutisve sententijs, videre licet; quæ aptè aliqua figurâ dicendi convestitæ, permagnam, sive ad memoriæ firmitatem, sive ad id, quod in animis nostris efficere conatundunt, vim habeant; quæ si, illo suo tanquam habitu, ornativè detracto, nudè simplicitèr; proponantur, minus nos afficiant, ac teneant.

Quam

Quam ob re non verè minùs quàm eleganter B. Ambrosius, de Psalmorum agens Davidicorum amenitate ac dulcedine, quàm eos legentis vel audientis tenetur animus: *Lu- Praef. in Psal mos.*  
*quidam est iste doctrina, majoris profectus, quàm cum seriatim traditur disciplina.* Et infra: *Nam violentiora praecepta non permanent; quod autè cum suavitate praeceperis, id infusum semel prae cordijs non consuevit elabi.* Augustinus autè, cum alibi non semel, in Scriptura cõmendat frondosas illas allegariarum aut figurarum umbras, & tanquam silvas, quibus *L. 11. Conf. c. 2.*  
 instar cervi spiritualis mirè capitur ac pascitur Lectoris eas ruminantis animus. tum eo libro quem inscripsit de Catechizandis rudibus, disertè in rem nostram ait: plurimum valere aenigmatum latebras ad amorè veritatis acuendum, discutendumq; fastidij torporem.

Itaque Scripturæ & SS. Patrum vestigijs insistentes (neque enim quidquam eo in genere proferetur, quod non ferè aliquà confirmetur istorum autoritate) pergamus discipulum crucis, variâ præceptionum formâ, ad perfectam sui abnegationem ac mortificationem instituere: eâ quidè totius negotij temperatione; ut dum isto quasi doctrinæ luxu relaxare animum, & præcipiendi contentionem remittere videmur, seriam tamen tradamus Christianæ patientiæ disciplinam, & (quod de B. Martino ab oratione ad alia studia divertente loquens, aiebat antea laudatus Severus Sulpitius) eandem semper tanquam incudem tundamus.

## CAPUT II.

*Christiana patientiæ disciplinam ex Christo crucifixo potissimum esse hauriendam.*

§. I.

## §. I.

*Christus crucifixus artis patiendi primus ac summus Magister.*

*serm. 7. de  
Epiph.*

Quod de humilitate S. Leo, quæ soror est germana patientiæ, & sine qua, ipsa patientia, neque perfecta, neque satis salva esse potest; id nos non abs re, ut existimo, tanquam de patientia dictum accipiemus: *Totam, videlicet, Christianam sapientiæ disciplinam, in vera & voluntaria patientia consistere; quam Dominus JESUS ab utero matris, usque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine & elegit & docuit.* Nam cum satis nôllet, quàm esset ea res abhorrens à communi sensu usque mortalium, & quanta in ea condiscenda difficultas & tarditas existeret; in omni vita in id unum incubuisse visus est, ut dictis & factis ejus artis præcepta, exempla, formam, rationem, usumque; contraderet; jamque ad bonum non infelices (ut vulgus errat mortaliū) sed beatos esse qui paterentur, omni seu ope, seu operâ, & (uti loquentem Magnum Leonem jam audivimus) *pro omni fortitudine doceret atque conficeret.*

*Job. 28.*

Hæc quippe illa est Philosophia cœlestis, nova, paradoxæ, & (ut Job loquitur) abscondita ab oculis omnium mortalium, & volucres quoque cœli (hoc est, sapientes hujus sæculi) latens: quæ ut denique mundo persuaderetur, opus fuit divinum Magistrum advenire de cœlo. Apparuit enim atque illuxit ipsa DEI Patris Sapientia omnibus hominibus, *erudiens nos*, ut Apostolus ait, hoc est (ut magis patet ex voce Græca) nos tanquam pueros adhuc rudes, & qui disciplinæ prorsus expertes, ad abnegationem desideriorum sæcularium, & consequenter ad eorum studium, quæ his ad-versa sunt, informans; & quod disciplina intellectu captivè difficilis, pronius admitteretur ac subiret discipulum avaros, non voce tantum eam tradens, sed factis etiam atque

*Tit. 2.*

exercit.

exemplo ad eam capeſſendam manuducens. Idcirco enim, ut magnus obſervat Gregorius: *venit inter nos Dominus incarnatus, adverſa appetens, proſpera fugiens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. fugit ergo quod omnes appetunt, appetijt quod omnes fugiunt, &c.* L. 30. mon. c. 30.

Porro hujus ſuæ incognitæ mundo Philoſophiæ, duplicem velut ſcholam aperuit; Bethlehemiticam ſpecum, & Golgothæum collem; iſtic præſepe pro cathedra, hic pro ſuggeſtu crucem deligens: *tanquam lignum crucis* (quæ Sancti Auguſtini verba ſunt) *ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis.* Tract. 119. in 104. Cùmq; iſtic, hoc eſt de præſepi, velut de humili atque privata ſede loquens, divinæ ſuæ Philoſophiæ prima duntaxat elementa aut rudimenta tradidiſſe videretur; in cruce demum, ut excelleſſiore publicaq; mundi *ſedens in cathedra ſapientiſſimus princeps*, & (quod itidem ait Scriptura) *quaſi tenerriſſimus ligni vermiculus*, cùm de ſe dixerit: *Ego ſum vermis*; omnem jam iſtius diſciplinæ altitudinem ac profunditatem omnibus palàm & aperte explicuit, & ſuprema illa patiendi, crucem ferendi, ſemet abnegandi, principia atque axiomata exemplo ipſo luculentiffimè affirmavit. Quippe qui idcirco ſuggeſtum crucis aſcenderit, ut (velut pulchrè quodam loco dixit S. Hieronymus) *omnem doctrinam ſuam patibulo* Ad Aigaſ. 9. *roboraſſet*; atque illam in primis ejus partem, quæ ad patiendi rationem pertinet, eò utique nos ducente vel ipſo patibuli nomine, in quo etiam ſecundùm S. Auguſtinum, *non* In pſal. 40. *potentiam demonſtrabat, ſed patientiam docebat.* Quibus contentantè Arnoldus Abbas Bonæ vallis: *Et ne aliquid ſerm. 1. de* ult. verbis *(ait) doctrina deſſet, ſecuta eſt forma: quæ ideo ad ultimum dilata eſt, ut quaſi piæ hæreditatis teſtamentum filij Domini ſuperſtites eò devotius amplecterentur, quod Chriſti ſanguine conſcripta privilegia ſua viderent, & impreſſam obedientiæ ejus imaginem, bulla impuſtrabilis exhiberet. Ideoq; ex illa cathe-*

dra crucis, quoddam deuteronomium dictatum est; & hinc capitulatis breviter, que multâ prolixitate diffusa erant, legitur simul Magister bonus facere & docere, & exemplo conformare doctrinam, nec tam veritatis præceptor esse, quam testis. Hactenus Arnoldus. Quicumque igitur Christi crucifixi non discipulos studiososque; profitemur, in gymnasio patientiæ erudiendi, in crucis & mortificationis palestra serio tractandi sumus.

Vit. c. 46.

Quam in rem denique & illud facit, quod in vita B. Hieronimi Sulonis legimus. Nam cum aliquando à Deo certare contendere, ut se pati doceret, sive certâ quadam recte patientiæ disciplinâ, & quasi arte informaret; fertur ei per visum apparuisse Christus crucifixus, Seraphini alari spectante, qui alis duabus sibi caput obtegeret, duabus pedes, duas autem reliquas leni volatu exereret. Atque in alis inscriptum adscriptum legebatur hoc lemma: *Afflictionem sponte suscipe; in medijs istud: feras crucem æquanimiter; in summo denique illud expressum erat: Pati Christiformiter.* Quæ ille ostento, & portendi sibi intellexit vexationes multiplices, quæ eum paulò post excepere, & eas utiliter sufferendi disciplinam tribus his præceptis contineri; ut nimirum sponte, ut æquanimiter, & (quod supremum est artis caput) ut Christiformiter, hoc est, ad Christi crucifixi formam, que exemplum, eodémque spiritu ac sensu, quo is passus est, & ipse pati condisceret. Ita patientiam doceri cupientem vocat Christus ad scholam crucis suæ; eo pacto indicans, in ea non modò patientiæ tradi theoreticam, sed usum etiam ac praxim accipi, ipsiusque adeò libenter ac promptè erudicendæ sensum intimum atque affectum efficaciter instillari.

§. 2.

*Eandem artem, præcunte Christo, non adeò difficulter addisci.*

At.

**A**T ardua ista est, inquires, patientiæ improbæ, & perfectæ sui abnegationis, disciplina.

Sed enim idcirco vocamur ad Crucifixi magisterium, idcirco Doctorem habemus è cælo. Neque enim arte aut institutione ullâ opus est, ut discamus sectari mollia, & quod ipsa ducit naturæ propensio, sequamur. *Nemo enim discit* (inquit Romanus Philosophus) *ut si necesse sit, equo animo, Sen. ep. 36. in rosa jaceat: in hoc duratur, ut tormentis non submittat fidem.*

Adjunge & quod jam diximus: artem hanc, tamen si per se perplexam ac difficilem, tamen in schola crucis facili tradi compendio; & omnia illa Evangelicæ severitatis capita: *Beati pauperes; beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur; diligite inimicos vestros; abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie*, aliâq; hujusmodi, à docili & attento discipulo comprehendi illico atque teneri, vel solo aspectu & contemplatione Crucifixi. Cùm & alioqui, ipse cælestis istius Sapientiæ Magister, ad eam non modò verbo exemplòve informet, sed & lumen aspiret mentibus, & vires voluntati suggerat, & discantium conatus manu obsecundante promoveat. Ut enim ait B. Petrus: *Modicum* 1. Pet. 5. *passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitq;.* Devoretur duntaxat prima elementorum seu rudimentorum asperitas, adsitq; serium Christo placendi & aliquid pro eo patiendi desiderium; & mox ille existet hujus disciplinæ fructus pulcherrimus, *Non dolere: juxta scitum illud Afri Doctoris: Si patientia incubabo, non dolebo.* Tertul. de patient. c. 10.

Age igitur, amabo, Magister bone: & quando à Patre universorum Doctor renunciatus, in publica jam mundi cathedra constitutus es (neque enim minùs in ista tua in jugo Calvariæ, quàm in monte Thabor transfiguratione, illa auribus nostris insonat paterna vox: *Ipsam audite:*) age, inquam, & pro suscepto munere rudem hunc in schola tua.

*Suso Dial. a.  
terne Sap:  
c. 3.*

discipulum ad omnimodam patientiæ disciplinam, in forma atque exerce. Manifesta mihi occulta Sapien-  
tiæ tuæ; quæ ut non amplius mundo occulta essent,  
sed (tametsi adhuc ignota sapientibus & prudentibus)  
parvulis tuis nota fierent, lapsus è folio æternitatis, con-  
scendisti suggestum crucis. Aperi mihi sensum, ut intelli-  
gam scripturam hanc, quam in membrana lego corporis  
tui, stylo ferreo & notis sanguineis exaratam, & spinarum  
quasi interpunctionibus distinctam. Audio enim te pa-  
quendam ministrum tuum ita loquentem: Respuere corpo-  
ris oblectamenta, frangere cupiditates, sui contemptum  
desiderare, aliena mala suaviter ferre, in uno Deo acqui-  
scere, *prima sunt elementa in schola sapientiæ, quæ in patenti  
& expanso corporis mei volumine leguntur.* In hac quippe  
divina Academia, nobis omnia unus es: Doctor & codex,  
voces & sententiæ, doctrina & comprehensio, diffusio &  
epitoma, præcepta & exempla, theoria & praxis, lex & ius,  
& denique viva, & efficax, & acuta & perfectissima totius  
patiendi demonstratio.

Sed quoniam hæc non tam intellectus quam affectus  
disciplina est: anima sensus, mentem impelle, voluntatem  
exsuscita; verbo, da nobis cor docile; ut qui in schola  
crucis tuæ erudimur, aliquando tandem assequamur hæc  
scientiam Sanctorum; & hoc sentientes in nobis ac sapien-  
tes; quod & in Christo JESU, nobisq; mortui & cruciati  
mundo, sensu & opere teneamus veram patientiam, & per  
patientiam perveniamus ad coronam.

### CAPVT III.

*Amorem crucis, & patientiæ studiū, viam  
ad salutem compendiosissimam esse.*

Nolite

**N**olim operæ multum ponere in comprobanda re, in schola crucis certissima, minimèq; obscura. Cùm & illud per se manifestum sit; quòd, quâ viâ Christus aternâ nobis salutem peperit, eâdem tutissimè brevissimèq; possit ad salutem perveniri. Neq; minùs evidens videatur; eùm lata sit via, gaudiorum, luxùs, deliciarum hujus sæculi, quæ ducit ad perditionem; è diverso arctam crucis viam, & scrupulis multarum tribulationum, dolorùmq; spinis obsitam, sed Christi equidem aliorùmq; Sanctorum solo tritam, oppositum ad terminum, ad salutem inquam rectissimè ducere. Ut equidem verè non exaggeratè duntaxat pronunciet pius ille Scriptor, eo in capitulo, quod *De regia via sanctæ Crucis* inscripsit: *Ecce in cruce totum constat, & in moriendo totum jacet, & non est alia via ad vitam, & ad veram internam pacem, nisi via sanctæ Crucis, & quotidiana mortificationis. Ambula ubi via, quære quòdcunq; volueris: & non invenies altiorem viam supra, nec securiorem viam infra, nisi viam sanctæ Crucis.* Et quæ sequuntur.

De imit. Ch.  
l. 2. c. 12.

In quam etiam sententiam S. Bernardus sermone 1. in Ramis Palmarum: *Disce, inquit, in passione quâ sit eundum. Hac enim est via vitæ, tribulatio præsens; via gloriæ, via regni: secundum quod clamat latro de cruce: Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. Euntem in regnum vidit; quòd cum pervenisset, sui memorem esse rogavit. Pervenit ergo & ipse. Sed vis nosse, quàm compendiosâ viâ? Eadem die meruit cum Domino esse in Paradiso.* Ista Bernardus.

Igitur pluribus, quæ cum in finem proferri possent, prætermisiss; hoc loco duntaxat ponderare est animus, nonnulla S. Ecclesiæ verba in festo Exaltationis S. Crucis proposita; quæ lecta transcursum, legentem minùs afficiunt, eùm mihi plena videantur non vulgaris cujusdam contemplationis. Ita enim illa in ejus diei officio (uti appellantur) Matutino: *In ligno pendens nostræ salutis semitam Verbum Patris*

*Patris invenit.* Quibus in hunc modum mihi philosophari videtur: quasi Verbum Patris, id est ipsa DEI Sapiencia, eum hominem perditum in viam salutis reducere, sibiq; adjungere ac restituere veller, omnes ejus rei perficiendæ vias modòsq; scrutata atque experta sit; potissimum autem populum sibi peculiarem, Israël's genus, variè pertentans; & jam illum magnis beneficijs demerendo, jam terrendo supplicijs; nunc insolita illi demonstrando prodigia, nunc legem tradendo, nunc Prophetas submittendo. Sed frustra fuere hæc omnia; *U non erat vox, neque sensus.* Ista, beculus erant Prophetæ, qui defuncto applicitus, vitam ei reddere non poterat: donec ipsa de cælo descenderet DEI Sapiencia, naturaq; nostræ humilitatem susceperet, atque incurvatâ & velut contractâ Majestate, ipsius se membris adeptans, poneret os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus; quo vitâ tanquam attactu, afflatûq; incalesceret frigans cadaver, solumq; disponeretur ad vitam. Verumtamen operis perfectio, crucis mysterio debebatur: quoniam nisi Unigeniti sanguine ac morte, tam miserè affecto salus parari non poterat. Idcirco denique conscendit crucem, in eaq; selectis criminum nostrorum expiationem Patri offerens, ipso tandem experimento cognovit, hoc demum fuisse, quo solo posset placari Pater; atque ad eam crucem viam esse certissimam, quâ & ipse nobis salutem adferre, & ipsi eandem, quâ tuto brevissimòq; compendio, nobis valeremus acquirere. Ita igitur, ex Ecclesiæ sensu, quam tantopere quaesierat nostræ salutis semitam, in cruce deniq; DEI Sapiencia invenit.

L. 4. Reg.  
c. 4.

Heb. 9.

Cui cogitationi nescio an anam dederint verba Apostoli, in hunc modum de Christo ad Hebræos scribentis: *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aternam redemptionem inventa.* Nam & hîc habemus inventam à Christo æternam redemptionem nostram, quasi magno studio, labo-

re,

re, industriâ conquistam: idq; non per sanguinem hircorû aut vitulorum, aliâve legis antiquæ sacrificia, sed per proprium sanguinem, hoc est, per crucis sacrificium, quo (ut ibidem Paulus subjungit) *semot ipsum obtulit immaculatum DEO.*

Quòd autem istam salutis viam, semitam appellat Ecclesia; tum illud indicat quod tangebamus, & graviter admonet ipse Christus, arctam esse viam salutis nostræ; simulque (uti semitæ esse solent) à communi latâq; via seductam; ut propterea, teste veritate, *pauci sint qui inveniant eam.* *Matth. 7.* Ubi rursum observa inveniendi vocabulû, ut intelligatur ea semita esse quasi inventivè difficilis; cùm lata via omnibus pateat, & primis se ingerat obtutibus, ut idcirco *multi sint* (ah! nimis multi) *qui intrant per eam.* Tum illud insuper insinuat, quod hîc præsertim contendimus: ipsam crucis viâ, quâ ad salutem perveniatur, velut semitæ esse solent, rectissimâ, brevissimam, compendiosissimamq; esse; neq; admodû esse, quòd ejus propriâ asperitate deterreamur, quæ facilè ipso compendio, ipsaq; etiam securitate, compensatur.

Ut modò non dicam, eam ipsam semitam crucis arctam ac duram principio, sensim charitate dilatari, usûque ipso mitescere: uti pulchrè differit S. Gregorius homiliâ quâdam: *Via DEI* (inquiens) *& inchoantibus angusta est, & in perfectè jam viventibus, lata.* *Et dura sunt, quæ contra usum spiritualiter animo proponimus, & tamen onus DEI leve est, postquam illud ferre cœperimus: ita ut pro amore ejus etiam persecutio placeat, & omnis pro eo afflictio in mentis dulcedine veniat.* *Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit, ipsa via dura, spiritualiter currentibus molles & plana fiunt, dum scit animus se pro temporalibus doloribus gaudia aeterna recipere, & hoc incipit, quod affligitur, amare.*

Verùm id equidem nos non agimus in præsentia, neq; viâ crucis asperitatem mollire contendimus; sed quamvis aspe-

asperam, duram, scruposam, senticosam, tamen alacriter à nobis esse carpendam: quòd & ad salutem, quæ rebus omnibus nobis antiquior esse debeat, facili deducat compendio; & ipse Dux noster atque Salvator, ante nos gradiens, suis eandem vestigijs presserit, immo eam gaudem atque exultans, & quodam quasi cursu transmiserit: ut nunc magis declarabitur.

## CAPVT IV.

*Quàm incensum fuerit in Christo desiderium patiendi!*

**P**rimùm agimus de patiendi desiderio; deinde de gaudio ejusdem in patiendo, acturi: quòd ea invicem connexa, & ex sese religata sint, eandemq; causam atque radicem habeant, videlicet amorem. Etenim qui multum aliquid amat, tum illud vehementer desiderat, cum adesse contigerit; & cum adest, gaudet illius præsentia, inq; ipsius possessione jucundè acquiescit.

Porrò ista multùm ac diligenter inculcamus: primùm, ut appareat, quantum Servatoris adversum nos amoris debemus, qui nostrà causà, tantà lubentia, atque animi propensione, ei se tormentorum acerbitati subjecerit. Tum, ut hoc exemplo ob oculos posito, sensim removeatur intus nobis rerum difficilium horror; cognoscamusq; fieri posse saltem cum patientia, quæ ille etiam cum gaudio sustinuerit. Postremò, ut sensim gliscente animi ardore, pari, occipiamus (quod supra dicebam) sentire in nobis, quod & in Christo Jesu; hoc est, ea amare quæ ille dilectis concupiscere quæ desideravit, demùmq; iisdem gaudere, quibus lætatus est. In quo Christianæ atque Evangelicæ vitæ summa ac perfectio consistit.

§. I.

*Christum Dominum, ut pati posset, miraculis pluribus usum esse.*

Quam igitur in DEI filio ingens fuerit propter nos patientiæ desiderium, illud in primis argumento est; quod eam ob causam, ab æternis illis paterni sinûs delitijs, in mortalitatem ac miserias nostras descenderit, naturamque sibi patibilem, & omnibus nostris ærumnis obnoxiam, circumdederit.

Quod enim privatim de paupertate S. Bernardus, hoc nos communiter de reliqua etiam patientiæ materia possumus dicere: Cùm in cœlis non inveniretur, in terris autem abundaret & superabundaret ista species; hanc concupiscentem DEI filium descendisse, ut eam sibi eligeret; & sic nobis quoque (qui nesciebamus pretium ejus) suâ faceret æstimatione pretiosam. Expressiùs autem S. Augustinus: *In psal. 148*  
*Venit (inquit de Christo loquens) ad regionem peregrinationis nostræ accipere quod hic abundat, opprobria, flagella, colaphos, sputa in faciem, contumelias, spineam coronam, suspensionem in ligno, crucem, mortem.* Nec absimiliter Joannes Thaulerus in explicatione Dominicæ passionis apud Blois, de Christi cruce (seu passione) loquens: *Hanc, inquit, usq; cap. 16.*  
*adeo amavit, ut illius perquirendæ causâ descenderit in terras; quandoquidē cœli hujusmodi ligni genus non proferunt. factus est veluti exul, extra regnum, gloriam, & gaudia sua, quò hanc posset amplecti.* Itaque etiam venit exultans, & giganteo non tantum passu (quod sat magnum esset ardentem cupientis indicium) sed etiam cursu, ad desideratos desponsæ sibi patientiæ amplexus properavit. *Psal. 18.*

Quo in loco sanè non negligenter ponderandum est, quod in præsentis paragraphi inscriptione proponimus: Christum scilicet, ut patientiæ sensum aliquem & quasi gustum.

Heb. 2. stum habere possit (mortem quippe gustavit, ut inquit Apostolus) & malorum nostrorum experimentum capere; non uno sed pluribus usum esse miraculis, immo in id unum quodammodo vim omnem suam ac potestatem exeruisse.

In primis enim eapropter (ut dicebamus) singulis prorsus atque inaudito prodigio, homo factus est: in quo quidem opere, si Joanni Damasceno credimus, eluxit præfertim infinita vis divinæ potentæ, velut in supremo divinorum operum; quoniam (ut idem ait) *nihil est majus, quam DEUM hominem fieri.*

lib. 3. de fide  
c. 1.

Deinde, ut nostram naturam induit, cum (pro eo postulabat personæ dignitas) sancta ipsius anima clarè divinitatis contemplatione frueretur; oportuit novo miraculo beatæ animæ vim quasi contineri ac reprimi; ne (quod aliqui futurum erat) quadam beatitudinis redundantia, vires suas participaret cum corpore; & huic, patiendi seu necessitatis seu facultatis, Salvatori autem voluptas patientiæ, subtraheretur.

Rursum: cum ita comparata sit mentis humanæ natura, ut eodem tempore cum lætitiæ excellenti summam simul tristitiam non capiat; immo, cum suprema illa voluptas, quam beati de Deo clarè viso atque possessio percipiunt, nullam secum partem tristitiæ, naturaliter admitrat: reperenda fuit ratio, quâ, supra legem & conditionem naturæ, in Christi anima divino illo gaudio delibuta, locus inventitur incredibili tristitiæ, eiq; torrenti amaritudinis, quæ beata illa mens, non infusa tantum aut infesta, sed velut obruta ac possessa est, cum digeret: *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Habet denique probabilitatem pia quorundam sententia; qui Christum censent, sive in horto Gethsemani, sive inter manus carnificum, ipsâ profusione sanguinis, vel animæ defectione, in præsentem mortis necessitatem adductum.

atum esse; sed quò superesset supremo crucis supplicio, omnemq; mensuram desideratæ passionis impleret, ipsum sibi vitam, extra naturæ ordinem, prorogasse. In quem sensum nonnulli antè citata verba accipiunt: *Tristis est anima mea usq; ad mortem*; juxta aesi diceret: Ea vis est doloris atque angoris quem patior, ut possit ad mortem sufficere; nisi majore vi cohibeam fugientem spiritum, meq; ipse ad majora certamina, & atrociores cruciatus reservem. Eam siquidem interpretationem inter alias tradit doctissimus notker Salmeron; *Ob gravitatem (inquit) doloris, valentis in se Tom. 10. tr. absorbere vitam, & deducere ad mortem, ob delicatissimam 11<sup>a</sup> corporis temperaturam.* Expressius autem Gabriel Biel, his *In 3. d. 15. c. 2. in f.* verbis: *Quis enim dubitare possit, Dominum in horto effuso sudore sanguineo, præ mentis angustia extinguendum fuisse, nisi ad ulteriorem patiendam fuisset preservatus supernaturaliter à Patre, ipso teste: Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et ante hos disertè B. Laurentius Justinianus, agens de Christo *De triump. Christi ago-* flagellato & spinis coronato: *Debit planè mori (inquit) tanto dolore transfixus; se tamen reservavit ad vitam, ut his ne c. 14<sup>a</sup>* *etiam graviora perferret.* Quibus paria sunt, quæ infra referam ex Libertino.

En quantis prodigijs egit Salvator, ut ne suppliciorum atque dolorum exquisitissimorum expers esset: in opprobrium languoris ignaviaq; mortalium, quorum pleriq; ita comparati sint, ut etiam perpetratis miraculis, si qua eorum facultas esset, libenter ab sese, quidquid est in vita incommodi, depulsuri atque amolitura videantur. Ad eò, si quid est perpefflu asperum, non modò non amamus, sed odimus etiam & averfamur.

## §. 2.

*Eundem, sibi præsstitutum patiendi tempus, velut impatienter expectasse.*

LII 2

Idem

Dem in Christo patiendi ardor ex eo etiam manifeste prodit: quod non in extremam aetatem argumenta dolorum aut patiendi necessitatem distulerit, sed ab ipso primo in vitam ingressu vexari & pati elegerit: perinde atque si puncto quidem temporis posset à complexu dilectæ sibi patientiæ divelli. Itaque & in omni vita, ut cum B. Cypriano postea dicam, omnes actus suos patientiâ comite signavit. At postquam diuturno malorum nostrorum experimento, proluit supremo certamini, ejusq; horam jam esset sentit in proximo, vide, ut velut tarditatis impatiens, ardet, anhelat, angitur, æstuat; dum illam summam votorum suorum ac desideriorum complementum assequatur. *Baptista*

*Lucæ 12. fmo* (inquit) *habeo baptizari; & quomodo coarctor, usq; dum perficiatur!* Diceret illi non tormenta aut mortem, sed balneum aliquod, deliciarum & voluptatis causâ apparatus & *coarctor* (inquit) hoc est, constringor & angor animo, præ morâ impatientiâ, neque quietem ullam habiturus sum, dum in sanguinis mei lacum totus immergar. Vides inliberum & inquietum ardorem animi: vides insatiabilem & penè intemperantem patiendi cupiditatem. Nimirum et multum amabat Patrem, ejusq; gloriæ ac salutis nostræ cupientissimus erat; ita toto pectore ferebatur in supplicia, quod illis sentiret, ex paterna voluntate, opus salutis ac Redemptionis nostræ implendum & procurandum esse.

*Joann. 4.*

*Joann. 14. voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus. Ut et*

*Joann. 18. gnoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit*

*Matth. 20. dit mihi Pater, sic facio. Calicem quem dedit mihi Pater,*

*non bibam illum? Calicem quidem meum bibetis, &c. Quibus itidem labores ac dolores suos, divinæ gloriæ animarumq; causâ susceptos, cibum suum & calicem appellans, satis indicat, quæ ipsi fames aut sitis esset; quid, inquam, præsertim appetere, quo refici, quo oblectari consuelet.*

cum

cùm ita ferat usus loquendi, ut quo cibo quis libenter vescitur, eum cibum suum esse dicat. Eodémq; spectat, quòd (prout à nobis suprà ex Chrysostomi, Prosperi, aliorumque sensu indicatum est) passionis ac mortis suæ tempus, appellat diem suum; diem utique sibi unicè charum ac præ cæteris desiderabilem; quem etiam exultans viderit Abraham, dum arietem de vepre suspensum hærentémq; cornibus, hostiam pro filio suo immolavit succidaneam, eòq; facto & Filij Dei mortem, & mortis genus adumbrari intellexit; ut pluribus Villalpandus in Apparatu.

*P. 1. l. 5. c. 8.*

Denique malorum acerbitatúmq; tolerantiam Christo in primis charam fuisse, illud etiam indicio esse potest: quòd dilectos suos discipulos, ut sui vicarios mittens, iam mundum à Patre acceptum, miracula patrandi, gentésque convertendi, gloriosam potestatem illis adeò non inviderit, ut etiam his quæ ipse faceret, majora facturos pollicitus sit; ut est in Joannis Evangelio: at eosdem tamen ita in dolorum suorum partem ac patientiæ consortium vocaverit, ut sibi supremam patiendi excellentiam, tormentorumq; principatum reservaverit: quippe cùm, ex communi S. Thomæ *Joann. 14.* *3. p. 9. 46.* *4. 61* aliorumq; sententia, dolor passionis Christi fuerit major omnibus doloribus.

§. 3.

*Eundem inflictorum sibi tormentorum dolores voluntariè exaggerasse.*

TAndem ad ingentem illam dolorum sitim ardorémque patiendi in Salvatore amplius demonstrandum atque exaggerandum, postremum hoc caput adjungimus; pro quo quædam possumus hoc loco cum præclaris Theologis expendere.

Primum est: ipsum Salvatorem amantissimum, dum, in tormentis esset, noluisse dolorem aut mærorem suum (ut fieri assolet) aliquà eorum quæ levare illum possent confide-

sideratione temperare, aut solatij genus ullum, unde unde ortum, in animum admittere: sed ut purum fel dolorum, & meram passionis amaritudinem sorberet, & quodammodo pati se ac mori magis sentiret, omnē ab animo suo consolationis causam exclusisse. Sic etiam expressè Doct. Angelicus loco citato de causis summi in Christo doloris: *Tertiò, inquit, magnitudo doloris Christi patienti potest considerari ex doloris & tristitia puritate. Nam in alijs patientibus mitigatur tristitia interior, & etiam dolor exterior, ex aliqua consideratione rationis, per quandam derivationem seu redundantiam à superioribus viribus ad inferiores. Quod in Christo patiente non fuit: quia unicuique virium permittitur agere quod est sibi proprium, ut Damascenus dicit.* Hæc S.

*l. 3. de fide*

*o. 15.*

Thomas. Itaque non tantum (quod dicebamus) illam summi gaudij participationem, quæ ex claro conspectu divinitatis in mentis apice fruebatur, ne in corpus viresque sensibiles, aut ipsam animæ inferiorem portionem redundaret, cohibuit; sed, ut animo atque ardori suo satisfaceret, considerationem suam, sive ab humanis, sive à divinis rationibus, ex quibus in vires animæ inferiores stilla aliqua solatij derivaretur, studiosè avertit; quò nimirum ipsam doloris ac tristitia puritatem gustaret; nullâ vel humani vel divini solatij admixtione temperatam.

*In 3. d. 15. a.*  
*2.* Alterum: quòd (uti etiam eo loco indicat S. Thomas & expressè tradit Gabriel antè citatus) non contentus in cruciatibus, qui illi ex ipsa externorum vi tormentorum inferebantur; eosdem in animi sui intimo recessu voluntariè auxerit; ut & sine modo dolor cresceret, & non tantum et dignitate personæ patientis, sed etiam (quoad fieri posset) ex parte poenæ assumptæ, copiosior esset atque excellentior satisfactio.

Itaque ex horum Doctorum mente, dum flagellis verberabatur

bi gratiâ caderetur, ultra eum doloris gradum, quem ipsa per sese flagella, aut incutientium vis, inferre poterat, majorem assumpsit sponte suâ: idemq; dicendum de alijs doloribus, sive ex coronæ spineæ impressione, sive ex clavorû in manus pedesq; adactione, sive ex reliquorum cruciamen-  
torum vehementiâ inflictis; quos omnes, tamen gravissimos atque acerbissimos, spontaneo tamen augmento amplificaverit; cupiditate plus patiendi, & pro nobis abundantius quodammodo satisfaciendi.

Sed audiamus hic Libertinum de Cafali, virum pium, è sacro Minorum Ordine, & Doctori Seraphico avo supparem, de hac ipsa re copiosius disputantem. *Ipsemet JESUS* (ait) *secundum suam divinitatem faciens, & secundum suam* 1. 4. c. 13. *charitatem amplectens, elegit omnia facere & permittere, quæ possunt augere dedecus, & augmentare dolorem. Unde Christus JESUS pendens in cruce, non ad diminutionem, sed augmentum doloris, miraculosè tenuit naturam in robore, usq; ad ultimum mortis suæ. Et quia quantò natura est vivacior & fortior, tantò dolorosius cruciatur: hinc est, quod ex hoc insimulabilis augebatur dolor, & semper damnificabatur omittendo vitalem sanguinem; & virtus conservabatur, ut intensissimum sentiret dolorem. Et intrâ: Sic voluit intendere sui corporis cruciatum, ad purgandum nostri impurissimi corporis delictamentum immundum. Et quia omnes dolores, qui fuerunt in corpore & anima JESU, fuerunt ab ejus charitate & potestate, secundum regulam divinæ Sapientiæ, commensurati passionis fructui & intentioni: ideo dixi supra & dico, quod illa miracula fecit in se & circa se, quæ dolorem auferrent ad prædictam mensuram. Et propter hoc non est inconveniens, quod Bernardus miraculo attribuit, transitus panarum spinarum, usque ad cerebrum: quia & clamorem mortis (quod fuit signum vigoris & doloris) Centurio miraculo attribuit; & ex hoc dixit, Filium DEI. Hactenus Libertinus.*

Quæ

9. 47. A. 1.  
ad 2.

Quæ eò tendunt univèrsa, ut Christum Dominum voluntariè ac sponte doceat intendisse atque auxisse dolores suos; eòq; cum morte luctantem (quod etiam indicat S. Thomas) divinâ virtute sustentâsse naturam suam, ne confestim victa succumberet; sed productiore & in pœnam vivace fato defungens, sincerio rem mortis suæ sensum, naturâ quidem acerbio rem, at animo tamen atque amoris suojucundio rem haberet.

Alban. 9. 4.  
in dictis E.  
vang.  
Tertul. adv.  
Gent. c. 21.  
Eypria. de I.  
dol. vanit.

Neque his repugnant, opinor, Patres, qui eum potius eunctantem mortem ac restitantem, inclinati capitis velut nutu advocasse significant, ut S. Athanasius & alij; vel ut Tertullianus & Cyprianus, prævento carnificis officio, Spiritum sponte dimisisse. Quanquam enim hoc loco parum interest, distulisse mortem illum dicamus, an anticipasse, patiendi desiderio; quando in utrovis æqua relucet dolorum mortis cupiditas: tamen, ex Autoris laudati sensu, facile dicimus utrumque posse consistere. Etenim, dum, præter rerum ordinem, cursumq; causarum naturalium, sui corporis naturam (uti loquitur S. Thomas) in sua fortitudine conservavit; eo sustentavit extremam causarum violentiam; mortemq; sibi, non tam distulit, quàm produxit. Sed cum ejusmodi impenso naturæ præsidio, aut nullo modo, aut non nisi tardiùs moriturus esset, illo subtracto cum voluit, quodammodo prævenit externarum causarum officium, ac se denique morti permittens, spiritum sponte dimisit.

## §. 4.

*Languoris nostri, ad hos Christi ardores comparati, incusatio.*

**H**ic verò jam exclamare compellor: O summam tuam, ô bone Jesu, & incomprehensibilem charitatem! O ardorem patiendi incredibilem! ô exemplum singulare! sed  
quin.

quàm tibi nos, ô afflictissime & patientissime JESU, quàm tibi non re ipsa modò, sed etiam affectu, neque affectu duntaxat, sed sensibus quoque ac judicio dispares sumus! Quàm submotæ sunt atque sejundæ cogitationes tuæ à cogitationibus nostris, & viæ tuæ à vijs nostris.

Tu de summo cœlo, ubi molliter in sinu Patris, perennis illis & ineffabilibus delicijs acquiescebas, patiendi studio in hanc miseriarum convallem descendisti, ut ærumnarum, quæ hic abundant, compos ac particeps fieres: nos in ipsa valle lacrymarum positi, perinde ac si nos primævus ille voluptatis hortus haberet, non nisi mollia & carni commoda quærimus, & (quod in nobis est) locum exilij in terrestrem quasi Paradisum commutare nitimur. Tu divinæ naturæ necessitate summè felix, & secundum humanam, divinæ gloriæ ac beatitudinis particeps, atque extra omnem, (si ita velles) malorum nostrorum aleam ac sortem positus, voluisti tamen gustare mortem, & reliquis nostræ mortalitatis incommodis subjacere: nos injectam nobis, seu corruptæ originis vitio, seu ipsâ nascendi conditione, patiendi moriendiq; necessitatem vix tandem æquo animo patimur. Tu denique ut pati posses, & frui voluptate patientiæ, commovisti naturæ leges, & prodigio multiplici viam tibi ad ærumnas nostras aperuisti: nos è diverso, si quid nobis adversi inciderit, ei amoliendo expectamus à DEO infueta miracula, & communem omnibus naturæ ordinem, nostrâ propriè causâ, moveri ac perverti vellemus. Adeò non imbecilles modò & ignavi, sed etiam vecordes ac cœci sumus.

*Domine, aperi oculos pueri hujus, ut videat.* Inunge, 4. Reg. 6. queso, oculos mentis nostræ collyrio sanguinis tui, & aperi illos, ut videamus & gustemus, quàm gloriosum sit pro te contemni, quàm dulce tecum & pro te pati.

M m m

CAPVT

## CAPUT V.

*Qualiter dulcis Redemptor noster, inter patiens, summo animi gaudio exultaverit.*

**E**Vadit id quidem (ut existimo) manifestum ex dictis: cum compertum sit eum, qui id quod ardentius optavit, consecutus sit, eo denique potiri cum gaudio, atque prægressi desiderij magnitudinem, mensuram esse gaudij præsentis. Cæterum id ipsum hoc loco seorsum retractandum est, ut doctrina per se difficilis, ex dictis Sanctorum eodem promptius inveniatur, & enucleatius proposita, melius persuadeatur atque infigatur animis nostris.

## §. I.

*Stabilitur thesis proposita Patrum, atque in primis S. Cyprii Alexandrini, auctoritate.*

**E**Rgo (uti modò cœpi dicere) pro ratione desiderij, patet quoque in ipsa suppliciorum perpessione Redemptoris nostri gaudium fuit. Nam licet secundum inferiorem animæ portionem, uti loquimur, cum summis confisteretur doloribus, tamen in supremo mentis apice, sublimi quodam complebatur gaudio: cum hac ratione sciret impleri voluntatem Patris, & genus humanum ad vitam & salutem adduci; eamque ob causam, ipsa dolorum patientia, veluti sibi præsertim complacita, libenter ac placidè frueretur. Quam in rem imprimis conspirantes habemus eos Patres, qui locum illum Canticorum: *Egredimini filia Jerusalem, & videte Regem Salomonem in Diademate*; ad Christum patientem transferentes, hoc est, inquit, *in spinea corona quam Christi capiti imposuit Judæorum Synagoga* (quippe

Cap: 3.

ait Clemens Alexandrinus: quem tanquam maleficum crucifixit, tanquam Regem coronavit) in die salutiferae mortis ejus, in qua proprio sanguine Ecclesiam sibi desponsavit: & in die letitiae cordis ejus; qua quidem salutare pro nobis mortem optetens, nos ab hostis servitute liberavit, atq; ita Patris obtemperans voluntati letatus est spiritu, licet carnis cruciatibus vexaretur. Ita qui circumfertur trium Patrum nomine Commentarius apud Theodoretum, itemq; uno verbo auctor, quaestionum ad Antiochum, inter opera S. Athanasij: Notum autem (inquiens) quod dies passionis ejus, fuit dies letitiae cordis, propter salutem nostram.

L. 2. Pedag.  
c. 8.

q. 136.

At me praeter ceteris delectant verba duorum Patrum, antiquissimi Tertulliani, & S. Cyrilli Alexandrini, quae hoc loco placet expendere. In primis enim S. Cyrillus, exponens illa Christi verba Joannis 15. *Hec locutus sum vobis. ut gaudium meum in vobis sit. & gaudium vestrum impleatur*, dicit eum locum accipi posse bifariam. Et primum quidem, in sensu obvio & facili, quasi id duntaxat velit Salvator, ut discipuli sui in se gaudeant, *superna beatitudinis atq; gloria magnitudinem intelligentes*. Deinde (quem sensum altiore & reconditorem esse dicit) ut nimirum Christus gaudium suum appellet illud, quod inter tormenta & opprobria, deq; ipsis adeo tormentis & opprobrijs, capiebat; quod haec cognosceret de Patris voluntate descendere, perq; ea homines ad salutem esse adducendos. *Nec vero unquam sputis dedecoratus (inquit) verbis derisus, verberibus caesus, & tandem patibulo affixus, ullo dolore affectus fuit, sed decenti semper gaudio plenus (quonia voluntatem Patris consummari videbat, & homines hinc salutem habituros non ignorabat) illa opprobria delicias esse putabat. Exultavit enim spiritu, instante jam cruciatu, & dixit: Confiteor tibi Pater, &c.* Itaq; ex mente S. Cyrilli, *ut gaudium meum in vobis sit*; hoc est, ut illis solummodo letari rebus velitis, quibus ego gaudeo; dolorum

M m m 2

felli-

scilicet atque opprobriorum tolerantia. Siquidem *banquet* latitiam elegi. Hæc & plura Cyrillus.

In quem nempe sensum accipi possunt: & illa Simonis  
*l. 4. c. 3.* de Cassia, alioqui nonnihil difficilia, cum ait: *Impassibilis*  
*pendat in pœnis in animo Christus, excepto quod pro nobis datur,*  
*sed non de pœnis in anima dolet. Amor suus insuperabilis non*  
*permittebat animam dolere de pœnis.* Eò videlicet, quod in  
 supremo (quod ajunt) mentis apice, passiones suas summe  
 nobis profuturas intelligens, eas approbaret, amaret, de  
 illis lætaretur, & pro sua in nos charitate, sola mala nostra  
 sentiret, non autem pœnas quibus nos ab illis redimere...  
 quæ ideo utique etiam dulces essent amanti. Quò spectat  
 & illud Seraphici Doctoris in Prologo sententiarum: *Dol-*  
*cissimus noster JESUS tantò circa nos afficiebatur teneritudo*  
*amoris, ut non videretur ei grave, pro nobis sustinere extremam*  
*& acerbissimum mortis genus.*

§. 2.

*Ad idem elegans Tertulliani locus expenditur.*

*l. de Pat. c. 3.* **S**ed nervosè, ut solet, atque in rem præsentem appositè  
 Smè Tertullianus; cum velut mirabundus quassillet,  
 quando DEI filius nostrâ causâ mortem subiturus venerat,  
 nunquid tamen subeunda morti etiam contumelijs opus fuerat,  
 sed saginari (inquit) voluptate patientia discessurus volebat:  
 Hinc enim esse, quòd desuitur, verberatur, deridetur, sicut  
 vestitur, sædioribus coronatur.

Bellè Tertullianus assignat Christo voluptatem patien-  
 tiæ; quòd (ut jam etiam ex S. Cyrillo vidimus) opprobria  
 & cruciatus reputaret delicias suas; & hoc velut cibo je-  
 cundissimo ac suavissimo libenter ac cupidè velceretur.  
 Quod ipsum ut etiam significantiùs exprimeret, saginandi  
 verbo eam in rem aptè usus est, nempe ut illud essiceret:  
 veluti in animali saginando deligendus est cibus conveni-  
 ens,

ens, & ad ejus genium atque naturam præsertim accommo-  
 datus, isq; non malignè aut exiliter, sed identidem & co-  
 piosè ingerendus: ita Christo Domino dolores & contu-  
 melias fuisse pro epulis exquisitissimis & desideratissimis, ut  
 quæ ad ejus palatum ac gustum maximè facerent; eaq; non  
 parcè, ut averfanti, sed (præsertim extremo tempore) effu-  
 sè & largiter, velut eorum appetentissimo, ingesta fuisset.  
 Itaque se minùs intelligendum putavit homo acutus, si di-  
 ceret vel cum Apostolo, DEI Filium gustasse mortem, vel  
 Prophetæ phrasî fuisse saturatum opprobrijs; sed ijsdem sa-  
 ginari voluisse dixit, pleniore vocabulo: quem eâ in parte  
 imitari visus est S. Augustinus, dum dixit: vitulum sagina-  
 tum de Evangelio, esse ipsum Dominum, secundùm carnem <sup>l. 2. 44. E-</sup>  
<sup>Aug. 9. 33.</sup>  
 opprobrijs satiaturum.

Ad extremum observa vim voculæ, quam, rei altius  
 exaggerandæ jam laudatis verbis Tertullianus intexuit: *Sa-*  
*ginari*, inquit, *discessurus volebat*. Quod enim adjungit,  
*discessurus*; si autorem assequor, eò id referre, idq; elegan-  
 ter significare visus est, acsi diceret: Ut qui certi cibi po-  
 tûsve gustu capiuntur, ijs se cupidiùs largiùsq; explere a-  
 mant, si hanc sibi extremam usuram fructumve eorum fore  
 sentiant; ut si demigrandum sit in eas terras, quibus earum  
 rerum nulla copia futura sit: haud aliter Salvatorem no-  
 strum, qui incommoda mortalis vitæ de Cælo experturus  
 advenerat, eorumq; fructu ac dulcedine mirificè tenebatur,  
 discessurum jam in regionem, ubi eorum expers ac vacuus  
 futurus esset, voluisse voluptate patientiæ avidiùs expleri at-  
 que exaturari, quando id extremum per vitam mortalem  
 liceret.

Jam demum videor intelligere, Salvator mi; quid esset,  
 cur in terris agens, ita vitæ commoda refugeres, neque no-  
 stras tantùm averfere delicias, sed etiam cibi necessarij,  
 seu oblivio quandoque, seu fastidium te caperet, ac tandem  
 (quod

*Heb. 12.* (quod tuus ait Apostolus) proposito tibi gaudio, crucem, ejusque confusionem atque ignominiam præoptares. Nimirum cibum habebas manducare quem nesciebamus, incognita nobis gaudia gaudebas, alibi dapes ac delicias atque oblectamenta inveniebas. Vexari, affligi, crucifigi, mori, hunc cibum tuum, hoc balneum, hoc gaudium tuum appellabas; his tuam orexin atque appetentiam, cæterorum abstinens, reservabas. Ut vel sic denique ostenderes in bonorum ac gaudiorum delectu errare turpiter Adæ filios, & eorum instar, infectum habere ac vitiatum gustatum cordis; ac demum si partem tecum ac societatem vellimus habere, prius intrandum nobis in gaudium in cruce patientiæ quàm in gaudium in cælo regnantis.

## §. 3.

*Eadem veritas ex Apostoli verbis elicitur.*

Sed luber rem omnem ex ipsa Divina Scriptura conficere, & eoque mentem religiosam ad idem studium parensque sensus extrimulare.

Ut enim jam illa non proferam; exultasse Christum, instante passione suâ; sive cum dixit Luca 10. *Confiteor tibi Pater;* ut quidem censuit S. Cyrillus; sive cum Joannem rogavit Patrem: *Et nunc, clarifica me tu Pater;* ex more abferenda S. Chrysostomi interpretatione: Ponderanda sunt duntaxat verba S. Apostoli ad Thessalonicenses scribentis, quibus eos comendat, quod tribulationes cum gaudio spiritus sustinendo, in eo facti sint ipsius Domini imitatores. Ita

*1. Theff. 1.* enim ait: *Et vos imitatores nostri facti estis & Domini, exipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti.* Ubi dum aliam nullam assignat imitandi Domini modum, nisi quod magno animi gaudio tribulationes sustinerint, manifestum relinquit, & ipsum Dominum ingenti gaudio excepisse passiones suas, & hilarem ejus in adven-

patientiam, nostrâ imitatione exprimendam. Unde ibidem S. Chrysostomus: Quomodo autem fuerunt (quærit) imitatores Christi? môxq; ita responder: Quoniam ipse quoq; multas sustinuit perpeffiones, sed gaudebat. Lubens enim & sua fronte eò veniebat. Propter nos se ipsum exinanijt, erat conspuendus, colaphos passurus, in crucem agendus; & adeò gaudebat hac patiens, ut Patri diceret: Glorifica me, &c.

At ne amplius immerger in re tam comperta ac manifesta: id unicum restat videlicet, ut hoc exemplo informati (quod quidem nos admonet, eadem confirmans S. Ambrosius) gaudeamus in passionibus nostris, sicut & Christus gaudebat in suis; & quas ille suscipiebat pro servulis, nos subeamus pro Domino: adimplentes (ut ibidem addit) quæ desunt tribulationum Christi, & passionum nostrarum perseverantiâ eum iustificantes. Verùm id exactiùs proximo capite tractandum est.

### CAPVT VI.

Quàm congruens sit in aduersorum tolerantia, eosdem nos cum Domino nostro sensus habere.

§. I.

Ut deceat seruos ijsdem cum Domino moribus esse.

EX his, quæ modò, de summo ardore patiendi, & de gaudio, quo inter patiendum affectus fuerit Redemptor noster disseruimus; pronum est effici, quàm nos ejus seruos conveniat, tribulationes pro Christo non refugere, aut cum etiam in eas incidimus (ex Jacobi Apostoli monito)

*Jac. 1.* to) omne gaudium existimare. Nam si (ut hoc pergamus  
*De pat. c. 3.* cum Tertulliano loco supra laudato dicere) probos quosque  
 servos & bonæ mentis, pro ingenio Dominico conversari videmus;  
 hoc est, ad Dominorum ingenium se fingere, in eorum  
 mores atque instituta transire: *quantò magis* (subdit) nos  
 secundum Dominum moratos esse oportet? iisdem scilicet cum  
 Domino JESU moribus esse, ipsius indolem, sensa, affectum  
*Rom. 13.* atque (ut Paulo loqui placuit) ipsum JESUM Christum induere.

Sed quando divinæ patientiæ fulgorem illum ægrè  
 finet, eamque veluti humanā majorem imitatione, nostram  
 suspectat infirmitas: videamus, si fortè eandem in Sancto-  
 rum exemplis quasi refractam ac temperatam familiariter  
 ferre, morésque Dominicos, si non in ipso Domino, at saltem  
 in conservorum vita luculenter expressos, imitando con-  
 qui non valeamus.

Atque ut hinc ordiar, annon secundum Dominum morati  
 erant servi illi; qui (uti in Actis Apostolorum legimus)  
*Act. 5.* ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt  
 pro nomine JESU contumeliam pati? E quorum numero speciatim  
 Beatus Andreas, dum ardore patiendi, ad crucis conspectum  
 exclamat: *ò bona Crux!* eamque tot exornat laudibus,  
 tam blandè ac dulciter appellat: facit utique pro ingenio  
 Dominico, & probum se servum ac bonæ mentis ostendit,  
 eandem cum Domino mentem habens, eadem amans,  
 eadem cupiens, postremò iisdem etiam gaudens. Vide enim  
 uti ex Domini sui imitatione, crucis desiderio & ipse con-  
 dretur & æstuet, & ejus complexum etiam impatienter re-  
 quirat. Nam, *ò* (inquit) *diu desiderata, sollicitè amata, sine*  
*intermissione quaesita, & aliquando concupiscenti animo propo-*  
*nata; accipe me, &c.* Et rursum: *Securus & gaudens veni*  
*ad te, ita ut & tu exaltans suscipias me, discipulum ejus qui pe-*  
*pendit in te: quia amator tuus semper fui, & desideravi*  
 plura

plecti te. Diceres illum amore crucis deperire, & cupidè in ejus involare amplexus, tanquam Sponsæ desideratissimæ, & cujus pridem decore captus sit; quia (ut ipse ait) decore ac pulchritudinem de membris Domini susceperit, & divini ejus cruoris guttis, velut totidem margaritis, resperfa atq; ornata sit.

Sed vide ut Paulum in suis pro Christo tribulationibus exultantem describit S. Joannes Chrysoströmus: *Ita Beatus quoque Paulus (inquit) ante reposita bona, in molestijs sibi propter Christum irruentibus gaudebat, clamabatq; dicens: Gaudet deo in passionibus pro vobis. Et iterum: non solum autem, verum & gloriamur in tribulationibus. Et rursus: Quoniam nobis donatum est à DEO, ut non solum in eum credamus, sed etiam pro eo patiamur. Etenim gratia verè maxima, dignum censeri propter Christum aliquid pati, & corona verè perfectæ, & merces futuræ retributione non minor. Et hoc norunt (subdit Chrysoströmus) qui legitimè ferventèq; Christum diligere sciunt. Et alio in loco: Ad eundem modum Beatus quoque Paulus, cum densos quasi nivium globos quolibet die in se irruentes perspiceret, haud secus ac si in medio Paradiso degeret, ita gaudebat & exultabat.* Hæc omnia Chrysoströmus.

At in ipsa Christi discipulorum schola eruditus S. Ignatius; dum nihil eorum quæ videntur ultra requirens, uno illo ardet desiderio, ut ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota diaboli tormenta in se veniant (ita enim ardens ille passionum Christi amator loquitur) nonne agnoscitur de ista esse familia, inter probos servos rectè educatus; verbo Domini sui moribus moratus? In cujus sensa & ingenium sic penetrarat, ut diceret: se demum incipere Christi esse discipulum, cum ardentia illa, atrocità quæque patiendi, desideria in se experiretur. Porrò sicut eadem cum Domino suo desiderabat; ita iisdem cum illo oblectabatur. Vnde illæ voces:

N n n

Uti-

Utinam fruar bestiis mibi paratis! neque enim, opinor, non frui dicimus, nisi his quæ possidemus cum gaudio, fructu quorum usu voluptatem aliquam, eamq; non mediocrem, capimus.

Denique, ut ævi posterioris aliquem, secundum Dominum, moratum Christi servum proferam: nonne ad Domini sui gustum sese accommodarat Beatus Laurentius: quicquid ob oculos immanis illa & horrida tormentorum species atque apparatus ad terrorem proponeretur: *Infelix* (re-  
*in Luc: 6, 12.* jebat ad Tyrannum) *has epulas ego semper desideravi*. sive, ut eum loquentem inducit noster Cornelius: Hanc mensam appeto, hanc sitio. Non est famelicus, qui escam; nec sitiens, qui potum desideret tam avidè; quàm ego hæc omnia tormenta ambio ac sitio, ut amorem amori, dolorem dolori, mortem morti rependam Jesu meo.

Nimirum & huic summa votorum erat, ipsis exsaturari doloribus, & ex Domini sui gustu, voluptate patientie larginari. Quò jam minimè necesse sit Sanctorum Martyrum plures proferri; de quibus ita generatim loco modò laudato Chrysostomus: *sed tamen quæ vel auditu intoleranda sunt* (ait) *ea ob gaudium illud quod divinitus concipiunt, tolerabilia atque expectanda fiunt. Ac si à ligno vel à sartagine, nonnulli adhuc spirantem Martyrem eduxeris, tantum gaudium in eis futurum reperies, quantum ne verbis quidem ullis exprimi possit.* Quod equidem non de eo tantùm intelligo gaudio, quod de spe mercedis atq; retributionis inter ipsa tormenta conciperent; sed de eo quoque, quod de ipsis tormentis capiebant, ex hoc quòd per illa (secundum S. Petri dictum) passionibus Christi communicarent: quod illi quidem præmiū maximum, atque (ut est sanè S. Joannis Chrysostomi sententia) mercedem cœlesti retributione non minorem, estimarent.

Atque iste fuit spiritus Christi Crucifixi: hic eorum sensus

sensus, qui sese altius in ejus intima penetrarunt, & (Apostoli phras) sensum Christi habuerunt. Ut vel hinc valeas, *1. Cor. 2.* mi Lector, experimentum capere, num inter ejus servos aliquo loco sis, aut in ejus schola aliquousq; profeceris; videlicet, si pati ames, si conterni, vexari & affligi cupias, demum si communicans Christi passionibus, gaudeas. *Rom. 8.* Si quis autem spiritum Christi non habet (inquit Christo concrucifixus Apostolus) hoc est: si quis in se non sentit ac experitur eosdem sensus, affectus, studia, quæ Christus in se habuit, & secutus est; *hic non est ejus;* ad ipsum propriè non pertinet; non est in servis aut discipulis ejus numerandus. Quod si Christi non sumus, cujusnam erimus? Ah! quando tandem Christi esse servi & discipuli incipiemus?

§. 2.

*Perhonorificum esse servo, Domini sui vestibus atq; Insignibus indui.*

AD hæc quæ dixi confirmanda, accedit & ista consideratio. Nam cum ita usu comparatum sit, ut nobilium aut magnatum famuli, certum seu colorem, seu modum vestis habeant, quo insigniti, de eorum esse familia intelligantur: ita in re præsentem censendum est, hoc esse certum ac proprium familiarium Christi insigne sufferre libenter adversa. Proinde, ut illi qui in Regis aut Principis viri famulatu sunt, gloriari solent eorum notis & insignibus, præsertim si ipsos Principes ipsdem uti ac delectari videant: ita nos oportet, cum illo fideli Christi servo, gloriari in eruce Domini, *Gal. 3.* & placere nobis in infirmitatibus nostris, in contumelijs, *2. Cor. 12.* in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: quod istam sciamus esse certam notam, ac velut vestem familiæ Christi propriam, quam & ipse sibi circumdederit, paupertate nostrâ ac miserijs sese involvens, non jam lumi-

ne amictus & gloriâ, sed circumamictus & circumdatur firmitate.

*Kxam. c. 4.  
s. 44.*

Præclare igitur S. Ignatius noster, filios suos admonet si in spiritu proficere, & serio Christum Dominum nostrum sequi velint, oportere eos amare, & ardentè exoptare ea quæ ijs quæ mundus amat & amplectitur, omninò contraria sint; indui nimirum, inquit, eadem veste ac insignibus Domini sui; adeòq; paratos esse, etiam contumelias atque injurias quaslibet pati: eò quòd exoptent assimilari ac imitari aliquo modo, Creatorem ac Dominum nostrum JESUM Christum, ejusq; vestibus & insignibus indui, quandoquidem illa ipse propter majorem profectum nostrum spirituale induit. Et ecce illum S. Bonaventura loquens de paupertatis & afflictionum tolerantia: Et hoc debet, inquit (scilicet DEI servus) maximum reputare, quòd Rex Regum & Dominus dominantium, Christus, sic servum vilissimum suis dignatur induere vestimentis, & sibi lutum fætidissimum simile.

*P. 2. stim.  
c. 1.*

Et vide si non his congruant illa Christi verba ad filios

*Matt. 10.*

*Marci 10.*

Zebedæi: Calicem quidem meum bibetis, & baptismo quo ego baptizor baptizabimini; seu (ut Arabicus) & tintura mea tingemini. Quasi nempe hæc sit tintura Christi, immo scilicet in afflictionum balneum, hi ejus colores, hæc insi-

*1. Pet. 4.*

gnia: quibus digni habiti, beati eritis (ut S. Petrus ait) quoniam quod est honoris, gloria & virtutis DEI, & qui est ejus spiritus, super vos requiescit. Hæc enim summa est, ex Sanctorum sensu, quæ nobis in vita obtingere possit felicitas, & quam solam (ut ita loquamur) beati de cælo nobis invident; pro Christo pati, & cum Christo, eadem cum illo velle indui, immò ipsum Christum Crucifixum induere, & (ut de Martyribus ait Beatus Cyprianus) Christi consortem & còparem esse, aut (quæ deniq; phrasia est Sanctorum Confessorum apud eundem) Collegam passionum cum Christo consistere.

*De laude  
Martyrij.  
Ep. 25. al. 26.*

Quapropter, sed alio loco de hoc ipso agens, supra *Hom. 8. Ep-*  
 laudatus Chrysoſtomus: *Hoc magnus est honor (inquit) hoc* *hes.*  
*est gloria que omnia exuperat. Si ipse, qui propter me factus est*  
*ſervus, & evacuavit gloriam, non adeò exiſtimabat ſe eſſe in*  
*gloria, ut quando pro me agebatur in crucem; quid me oportet*  
*pati? Audi enim ipſum: Glorifica me, inquit, tu Pater.*

Qua proinde tantâ tamq; inæſtimabili gloriâ, cùm ſeſe  
 indignos cenſerent Crucifixi diſcipuli, quanquam aliquid  
 pro Chriſto pati votis omnibus expeterent, hanc tamen à  
 Deo felicitatem vix ſibi ſperare audebant. Vnde vox illa  
 fertur S. Martyris Ignatij: *Eligo pati, ſed nescio an dignus*  
*ſim.* Et Seraphicus Bonaventura, ad hoc (uti appellat) ex-  
 cellentiſſimum donum poſtulandum à Deo nos provocans:  
*Non dico (ait) quòd tibi dabit pati; quia non omnibus concedit* *P. 2. ſim. c. 6*  
*hoc: ſed tribuet tibi velle pati. Et fortè, ſi dignus fueris, etiam*  
*iſtud dabit tibi.* Ita S. Bonaventura. Quibus conſonans Læ-  
 tientiſis Abbas: *Pati pro DEO (inquit) res tanta dignitatis eſt,* *Inſtit: ſpirit:*  
*ut homo jure ſe reputare debeat indignum eo honore.* *c. 8.*

Rectè igitur Venerabilis Joannes à Cruce vir ſanctus, è *Vit. 5. 8.*  
 Patrum Carmelitarum excalceatorum familiâ: qui cùm ante  
 Chriſtum crucifixum orans, auდიſſet ab eo: *Joannes quid*  
*vis pro laboribus?* generoſè reſpondit: *Domine pati & con-*  
*temni pro te.* Quippe qui hanc cenſeret ſummam expeten-  
 dorum in vita; neque majus ullum à Deo immortalis bene-  
 ficium homini mortali offerri aut deferri poſſe. Rectè &  
 inſignis Dei ſervus ex ordine noſtro Franciſcus Cajetanus,  
 qui ad materteram religioſam, in eandem ſententiam ſcri-  
 bens, ita loquitur: *Ex tuis litteris de tua infirmitate cognovi:*  
*quaſo DEUM, ut eam tibi velit eſſe perpetuam. He enim ſunt* *Vit. c. 20.*  
*genuina nota ac inſignia ſervorum DEI; qui pro ſua immenſa*  
*bonitate, me tali aliquâ infirmitate afficere, magno meo bono*  
*ac ſolatio, eſt dignatus.* Sic ille: ſed verbis, extra crucis  
 ſcholam aut familiam, obſoletis & barbaris, & pennâ non  
 niſi

nisi de Crucifixi latere intincta. Alioqui enim quænam ista est scribendi formula? aut quàm insolens & inusitata ægri consolandi ratio? Veruntamen discipuli crucis sensibus inter se congruunt, & aliter ac mundus, de rebus hujusmodi philosophari, hoc est, sentire ac loqui, in Crucifixi schola didicerunt.

Quibus confirmandis ac concludendis, consentienti profero DEI servam, in eadem schola apprimè eruditam. *Cap. 61.* Angelam Fulginiensem, quæ quodam loco ita loquitur. *Anima, si attendat ad dilectum suum JESUM, & habere sitillam amoris, non deberet querere aliud lucrum, nec alium statum in isto mundo, nisi illum quem ipse habuit; scilicet doloris & angustia & afflictionis. Et hæc esset (subjungit) tota consolatio ejus.*

## CAPVT VII.

*Unumquemque nostrum Christi cruci, aut ipsi Christo, tanquam surculum, inferi oportere.*

**H**actenus Candidatum patientiæ, ut Crucifixi seu discipulum seu servum consideravimus: quem ipsum nunc superaddimus ipsi Christo veluti surculum inferendum esse, sed eodem semper proposito. Ut nimirum istud intelligatur, quantopere congruens aut necesse sit, hominem Christianæ perfectiõnis studiosum, in eisdem cum Christo crucifixo sensus transire: quod tantò ampliùs demonstrabit præsens consideratio, quantò familiarior est atque intimior surculi cum trunco cui inseritur, quàm aut discipuli cum Doctore, aut servi cum Domino, necessitudo.

## §. I.

*Allegoria proposita fundamenta quedam ja-  
ciuntur.*

**H**anc etiam loquendi figuram verbulo nobis indicavit  
Apostolus, cum ad Romanos ait: *Si complantati (sive Rom: 6.*  
institij) facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurre-  
ctionis erimus. Quibus significat, debere nos, qui in bap-  
tismo Christi mortem imitamur, ita illi implantari & inseri,  
ut sicut in hac vita, mortis ac passionis ejus consortes facti  
fuerimus; ita in altera resurrectionis illius gloriam parti-  
cipemus. Expressius autem S. Ambrosius, tanquam Apo-  
stoli sententiam exponeret: *Quin etiam, inquit, ut tener L. 9. in Luc:*  
*surgulus veteri abscissus ex arbore, in alterius fetu radicis inse-*  
*ritur: ita populus hic sanctus, surculi veteris cicatricibus eno-*  
*dati, in novo illo crucis ligno, tanquam gremio pia parentis*  
*foris, inolescit. Quæ nempe tamen per se lignum aridum*  
*erat & infructuosum, tamen ex quo Christi sanguine irriga-*  
*ta resoruit, fructum cœpit nobis beatæ immortalitatis ad-*  
*ferre.*

Eandemq; video S. Catharinæ Senensi non semel inje-  
ctam cogitationem: quippe quæ & in oratione quadam  
ait; ipsum Christum corpus suum ligno crucis insevisse, &  
nos ipsi Christo inferendos per passionum tolerantiam &  
sanctæ desideria; ad producendos fructus vitæ. Et in qua-  
dam ad B. Raymundum Confessarium suum epistola; do-  
cet cor & affectus nostros in arborem crucis cum Christo ef-  
se inferendos, &c. *Epist: III.*

Ex quo nobis sese confestim aperit prima atque sum-  
ma hujus contemplationis utilitas. Nam si arbori crucis,  
seu vitali trunco, insiti sumus; profectò non nostros, hoc  
est veteris Adæ, sed Crucis sive Crucifixi, hoc est, Adæ no-  
vi, fructus feremus. In hac quippe mystica insitione, quæ  
agre-

*Rom. II.* agrestis furculus (ut in pari causa Paulus loquitur) *contra naturam* inseritur in bonam arborem, non, quemadmodum naturam comparatum est, insitivus ramulus jam poma profert sui generis, sed primævæ oblitus indolis, fructus novæ matris, à qua adoptatus est, consentaneos edere condiscit. Ut proinde qui cruci Christi velut furculus insitus & incorporatus sit, uti jam non potest nisi de crucis succo vivere, ita neque fructus nisi juxta trunci naturam, hoc est, ipsi cruci congeneres, aut Crucifixo conformes ferre. Quem etiam in sensum adduci potest, quod ait Apostolus: *Ut & qui vivunt* (tanquã insiti Christo per gratiam) *jam non sibi vivunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est*: hoc est, non jam indolis antiquæ, sed arboris novæ fructus edant: quippe, ut sibi lib-

*Ep: 4. ad Sever.*

dit, *in Christo nova creatura effecti*; seu (ut vocem imitetur Paulini) ipsius succo per adoptionis beneficium medullati.

Qui autem, amabò, crucis fructus sunt? nisi quibus illa, cum eam Christus complexus est, probè onerata & coarctata apparuit; clavi, spinæ, lancea, acetum, fel, plaga, flos, sputa, nuditas, opprobria, pavor, mœror, angustia, tædium, exterior interiòrque ab omni solatio desertio? Haec enim propriæ, quantum apparet, crucis opes sunt, hæc tota istius arboris messis atque proventus.

Porro Crucifixi fructus proprios quos esse dicam? nisi heroicarum virtutum actus, quos mortalibus adhuc incognitos, instar arboris novæ, atque ex alio cælo advectæ, mundo protulit: domare carnem, refranare sensus, cupiditates frangere, horrere mollia, asperis delectari, gloriam contemptu, gaudere vexationibus, dolores amare, se ipsum odisse, inimicos diligere, voluntatem suam divino beneplacito, quicumque tandem casus incidat, plenè atque ex toto subijcere.

Peregrini, fateor, & penè etiamnum ignoti mundo illi genus fructus sunt, & rari satis apparent in terra nostra.

Nam

Nam & ipsa arbor non hujus soli aut cœli est, & seu glebæ vitio, seu culturæ neglectu, agrè nobis & malignè provenit. Quod non eò dixerim, quasi non ubique nascantur cruces; quæ etiam nullo fatu aut cultu, passim per sese proveniant; sed nos in præsentia de Jesu Christi cruce loquimur, quam eò dicimus, plerisque in locis infelicitè succrescere, passimq; adversà & iniquà glebà conflictari, quòd pauci sint mortales, qui pati ament, qui vexari & opprimi gaudeant, qui malorum suorum patientiam pio ad Christum pro se passum respectu condiant ac consecrent; qui denique spontanea & hilari passionis Christi imitatione, Christi crucem, suam faciant; aut sanè cruces suas, unde unde tandem enatas, in sanctam Christi crucem inserant, suosq; dolores ac molestias, quæcunque sint, cum acerbissimis illius doloribus, & amara passione conjungant.

Attamen huc potissimùm tendet omnis ab Christi amatore suscepta mentis exercitatio, ut ei quorumvis malorum tolerantia, amore Christi atque exemplo, dulcescat deniq; & sapiat; utq; crucis fructus, quasi tempore ipso ea arbor austeritatem suam ac peregrinitatem exuerit, ipso usu nobis in assuetudinem primùm & familiaritatem, tum in dulcedinem, & velut in naturam transeant. Sanè quidem, etsi priusquam Dei Filius (qui *germen Domini* ab Isaia appellatur.) infelici huic ligno insertus & concorporatus est, ipsum crucis nomen, res non dicam fatuà atque insulsa, sed saporis erat ingratiissimi, nec erat quisquam, qui gustaret mortem istam: tamen posteaquam suo intimo amplexu Salvator suum illi sanguinem indidit, suum tanquam succum infudit, suo illam sapore ac suavitate impertijt; exinde crux cœpit sensibus nostris dulcescere, ipsiusq; fructus ad vescendum suaves, & aspectu delectabiles esse, ijs saltem, quibus & oculos & gustatum acuerit germana Christi dilectio.

Isai. 4.

*Discursus facti vis in pauca colligitur.*

**H**uc igitur tandem tota recidit, spiritualis hujus insitio-  
nis adoptionisve ratio, ut de veteris hominis caudice,  
refecti, & obliti veterem indolem, in Christo maneamus,  
& ipse in nobis: verum nos in illo, ut illi insiti & concor-  
porati per gratiam; ipse autem in nobis, ut vitam, spiritum,  
succumq; suum in nos transmittens; ipsos inquam sensus  
affectusve sibi proprios, virtutes suas, proprietates, mores  
nobiscum communicans. *Ita enim se immiscet nobis* (inquit,  
ni fallor, S. Paulinus) *ac nos sibi conserit, ut quod ipse accepit,*  
*nobis proficere faciat.* Quo denique fiat, ut omne germina-  
flos, fructus noster, omnis inquam nostra cogitatio, omnia  
intentio, & actus omnis, ipso Christi crucifixi sanguine, ceu  
vitali rore in se transfuso, vegetentur & vigeant, neque tan-  
tum sint nostra quam Christi: secundum quod ait S. Hierony-  
mus: *Beatus*, exclamans, *multumq; felix, qui vivente in se*  
*Christo, per singulas cogitationes & opera potest dicere: In se*  
*de vivo Filij DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro*  
*me.* Quo nimirum sese pervenisse censebat felix crucifixi  
discipulus Paulus Apostolus, cum in se Christum vivere diceret.  
Ut enim disputat ad ea verba Chrysostomus: *Quoniam se*  
*metipsum Christo Domino & Cruci praeferat, cuncta q; reproba-*  
*rit temporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, non di-*  
*xit: Vivo Christo, sed quod longe majus erit: Vivit in me*  
*Christus.*

Ad extremum ex ipsis fructibus, seu operibus nostris  
cognoscemus, cui plantae insiti, cui radici obnoxij, quo in-  
terno rore vegetemur: hoc est, utrum de mundi carne  
spiritu, an de succo Crucifixi, & tanquam medulla vivamus.  
Quippe (ut pronunciat dilectus Christi discipulus) *qui dicit*  
*se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulat.*  
Quod

*In ep. Gal.*  
*§. 2.*

*1. Joann. 2.*

Quod in rem presentem interpretans B. Prosper: *Quid est, ait, ambulare, sicut ille ambulavit: nisi contemnere omnia. l. 2. de vir. prospem, qua contempfit, non timere adversa qua pertulit? contr. c. 20.*

### CAPVT VIII.

De tribus indiuiduis Christi Domini comitibus; Paupertate, Doloze, Contemptu.

#### §. I.

Comitatum hunc, seu societatem, Christo Domino perpesim adhasisse.

Occasionem huic considerationi atque argumentum præbuit, quod in vita R. P. Balthazaris Alvarez legitur, viri ex Ordine nostro sanctissimi; qui S. Matri Teresæ *Vit. P. Balt: c. 12.* fuit à sacris Confessionibus, & cujus hæc ope atque operâ multum se in animi sui rebus adjutam libens fatebatur.

Is igitur uti assidue Christum crucifixum habebat præ oculis, & vitæ ipsius ac mortis mysteria intento studio contemplabatur: ita præcipuo ac singulari animi sensu meditari solebat, tres (ut appellabat) indiuiduos Christi comites, ut qui illi ab ipso Præsepi ad extremum usque spiritum continenter adhæserint; Paupertatem scilicet, Doloré & Contemptum. Eoq; referebat illud Prophetæ in Christi persona dicentis: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea; exaltatus autem, humiliatus sum & conturbatus.* Quibus verbis dicebat proponi viam, quam Salvator noster in omni vita tenuit; paupertatis nimirum, doloris, atque contemptus: Quos ille comites adeo familiares & intimos habuerit, ut unâ cum illo de utero egressi, cum ipso pariter pe-

0002

atatis

ætatis incrementa crescerent, usquedum sub vitæ extenuatione eam absolutionem ac perfectionem acciperent, ut iam appareret ad summum denique pervenisse, neque quidquam esse, quod eis ultrâ addi posset.

Itaque vir sanctus, Magistri sui imitandi desiderio, eundem sibi comitatum assumere, & per omnem vitam constantiter retinere, atque colere instituit: solitus etiam hoc Christi asseclas & publicè & privatim sic commendare, ut audientes ad dicentis ardorem obstupescerent, simulq; ad earundem rerum amorem vehementer inflammarentur.

Cæterum ante Patrem Alvarez, eundem in modum invenio philosophari solitam sanctam Viduam B. Angelam de Fulgino: sive hic ab ipsa forsan hauserit, sive idem Dei Spiritus, qui utriusque mentem ac sensus agitabat, eandem utrique cogitationem injecerit. Dicebat autem speciatim B. Angela, hanc esse societatem seu comitatum, quem Pater æternus filio suo in mundum prodeunti, ab ipso primo sui conceptûs momento attribuerit; summam paupertatem, summum dolorem, summum despectum: atque eos, qui hæc ipsa ament, eundemq; sibi comitatum asciscant, accepisse se divinitus, esse legitimos & electos Dei filios, eosdemq; videri esse de intimis ejus familiaribus, ut qui eadem cum illo scutella edant, & ex eodem calice bibant.

Quas etiam res B. Angela quantopere cordi haberet, vel illud indicio est, quod non modò in vita eas studiosè et identidem dilectis suis in spiritu filijs commendare instituerit, sed etiam moriens, velut omnem censum suum ac opus testamenti reliquerit: *Relinquo*, inquit, *vobis totam hereditatem meam, que etiam est Christi JESU, scilicet paupertatem, dolorem, & despectum, vitam videlicet Christi.* Quo etiam factum est, ut circa ipsius imaginem, instrumentum passionis Christi arctè ac piè complectentis, lemmatis in hæc adscribatur: *Summa paupertas, summus dolor, summus despectus.*

Eadēq; phrasi S. Cyprianus de Christo loquens: *O-* lib. de pati-  
*mnes, inquit, actus ejus ab ipso statim adventu, patientiā co-* ent.  
*mite signantur.* quod videlicet tres istos affeclas in comi-  
 tatu semper habuerit; quibus, opinor, rebus tota patienti-  
 a materia contineretur. Et rectē ab ipso statim adventu  
 hunc ei patientiā comitatum assignat: quippe qui & in sta-  
 bulo nascitur, per contemptum exclusus diversorio; & in  
 presepi reclinat, tanquam ē sinu matris in gremium dile-  
 ctæ paupertatis effusus; & frigori jam tum ac reliquis natu-  
 ræ incommodis obijcitur, ut nunquam esset sine dolore,  
 postea vir, nunc infans dolorum, & jam tum sciens infirmi-  
 tatem.

Expressius autem S. Bernardus, tres istos comites no-  
 minatim designans, ait: *Vix natus est, cæli gloria, cæli divi-* De pass. Do-  
*tia, cæli delicia dulcis JESUS; & ecce recenti ortui, crucis* min. c. 36.  
*ignominia, crucis dolor, crucis paupertas copulatur.* Porro  
 incommoda, quæ ab ortu suo sufferre cepit Salvator, igno-  
 miniam, dolorem, ac paupertatem crucis appellat: sive  
 quod hæc essent rudimenta quædam & anticipatio, seu quasi  
 delibatio eorum quæ postea in cruce toleraturus erat; sive  
 quod partes essent & quasi membra crucis illius spiritualis,  
 quam ab ipso conceptam in se susceptam, per omnem dein-  
 ceptam vitam pertulit, de qua eodem in tractatu S. Bernardus:  
*Passionem autem non illum diem appellamus, inquit, quo mor-* cap. 5. & 35.  
*tuus fuit, sed totam vitam illius. Totæ enim vitæ Christi crux*  
*fuit & martyrium.* Et rursus: *Profecit à natiuitatis exor-* cap. 36.  
*ditio passio crucis simul exorta est.* Qua de re nos infra uberius.

Ergo quorū manibus ex utero matris exceptus esset, in  
 eorum quoque gremio atque complexu mori voluit, inter  
 brachia crucis exspirans in summa paupertate, summo dolo-  
 re, summo contemptu: nequā assignatum sibi à Patre co-  
 mitatum dimitteret, illōve prius quam vitā ipsā destitueret.  
 tur.

tur. Quanquam neque jam exanimem, eoque sensui doloris subtractum, comites reliqui continuo destituere visum quando & demortui latus contumelia patuit, militis lancei temeratum, & adeo nudus rebus omnibus inventus est, ut non nisi in alieno sepulcrum, nec nisi alieno sumptu sepulturam invenerit. Ut hic merito dicamus cum Petro Blesensi:

Serm. 9. *Omnes revolvite vitam Salvatoris ab utero Virginis, usque ad patibulum crucis, non invenietis in eo nisi stigmata paupertatis.*

tom. 1. Opus.  
apud VV ad.

Quam in rem etiam S. Franciscus in præclara oratione ad Christum pro obtinenda vera paupertate, ipsum ait è caelis ad terras descendisse, ut illam posset charitate perpetui desponsare; proindeque eandem vel in ipso utero sociale, cum Christo commercium inchoasse; eandem ipsum et utero in præsepe recepisse; in ipso passionis confictu, eandem Christo velut individuum armigerum astitisse; ipsum denique Christum in ejus sponsæ strictis amplexibus animam emisisse, &c.

Decebat nimirum hic comitatus Dei Filium: ut quoniam (quod ait dilectus ei discipulus) *omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; atque ex tribus his eorum qui mundum colligunt omnis vita componitur: è contrario illius vitæ, qui sese mundo oppositurus, eumque debellaturus advenerat, et rebus directò adversantibus coalesceret, & doloris sensu, concupiscentia carnis, paupertatis amore, concupiscentia oculorum, contemptus desiderio, superbia vitæ opprimeretur.*

§. 2.

*Eosdem tres comites, ei quoque, qui Christum propius sequi desideret, in socios adsciscendos esse.*

Atque

Atque in his pauculis vocibus habes, Jesu Christi amator, copiosam piæ commentationis materiam, & palæstram, in qua diu multumq; te exercere possis.

*Primo* igitur considera, nec sine tenero amoris & commiserationis sensu, quàm dulcissimo Jesu acerba fuerit & cruciabilis illa crux spiritualis, ex tribus hisce velut partibus compacta & coagmentata, in qua ille non horis aliquot, velut in ipsa cruce corporea, sed ab ipso in mundum ingressu, ad extremum usque spiritum, continenter suffixus jacuit.

Etenim paupertas, satis per se dura & ærumnosa, nimium quantum ingravescit, cum ad eam dolor & cruciatus accesserit: at si hoc utrumque cum ignominia & despectione conjunctum sit; tum verè nihil est, quod, præsertim animo generoso, obvenire possit acerbius. Itaque & ipse Salvator, illum dignitatis & personæ suæ contemptum, quo omnes ipsius cruciatus cumulabantur, vehementer sentire visus est, eamq; ob causam, quoties cum discipulis de futura sua passione loqueretur, eum sui despectum atque illusionem, veluti principem dolorum suorum circumstantiam, expressè ac disertè commemorare. Sic enim (ut Marci 9. legimus) denuntiabat illis, *quomodo scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur*: passionem suam dolore ac contemptu definiens. Et explicatiùs cap: sequenti: *Illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt & interficient eum.* At per os Evangelici Prophetæ, hæc ipsa suarum passionum adjuncta, despectum, inquam, illusiones, opprobria ita studiosè atque disertè prænuntiari voluit, perinde atque si per ea, tanquam personæ suæ notam propriam, designari vellet, atq; agnosci. *Vidimus eum, inquit, despectum & novissimum virorum.* Et rursus: *Et quasi absconditus vultus ejus, & despectus; unde nec reputavimus eum.* Et infra: *Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à*  
DEO

Isai. 53.

*Gasp. Sanct. ibi.* DEO & humiliatum. Pro quibus postremis (ut eruditi quidam observant) etiam significantius ex Hebræo legi potest. Percussus DEUM & humiliatum. Ut nimirum hæc sit quædam velut vitæ ac passionis Christi epitome, hæc ipsius Christi quasi definitio aut descriptio, hoc Evangelicæ perfectionis exemplar, hæc tota crucis disciplina, cum dicitur: Percussus DEUS & humiliatus.

*Secundò:* Perpende nihilominus, quo amore ac studio benignus Salvator, hosce lateri suo jugiter inhaerens affleclas complexus atque exosculatus sit: nimirum cum illos aspiceret ut charos comites sibi à Patre amantissimo attributos, neque tam ut adjunctos extrinsecus, quam ut sibi ab ipso conceptu cognatos atque congenitos; & quibuscumque proinde, velut cum intimis, ætatem esset consumpturus. Sed neque (tamen integrum esset) vellent vel ad momentum eo dilecto comitatu destitui; quòd se Doctorem nostrum ac Ducem, tum etiam medicum meminerat; neque alio certiore seu documento seu remedio posse, vel mores nostros pravos corrigi, vel inolita mala curari: præsertim irremediabilem ingenitam nobis superbiam, & insanam appetentiam gloriæ; cui persanandæ potissimum visus est in omni vita studuisse. Itaque divinæ gloriæ & salutis humanæ desiderio, tres istos comites sibi conjunctissimos habuit, eorumque duobus hisce tanquam brachijs arctè complexus, charitatem DEI & amore proximi, absque his vivere, absque his mori noluit: ut jam excusationem nullam haberet inexcusablem cupiditas, libido, & superbia nostra, cum præ oculis haberemus horrendum illud & inopinabile omnis patientiæ exemplum, cælorum Regem nostram causam factum pauperem, & DEUM percussum atque humiliatum.

Quamquam adhuc rari sunt, Domine Jesu, qui divinis tui exemplo convicti, tuum hunc comitatum ament, ipsi demque tecum sensibus ducantur. Ut merito tibi illud occi-

namus è Psalmo: *In mari via tua, & semita tuae in aquis multa* Psal. 76.  
*ti*: hoc est, in mari passionum, & aquis multarum tribulationum. *Et vestigia tua non cognoscuntur*: quia scilicet hæ viae tuae, via paupertatis, via doloris, via contemptus, paucis notæ sunt, & oppidò pauci vestigia tua inveniunt, quò eis insistant, tēq; quæ prævisi, affectentur.

*Tertio*: Proinde tecum ipse reputa, quàm te æquum sit, qui Christi sectatorem & amatorem profitearis, eodem cum illo comitatu ac societate delectari.

Certe qui aliquem ex animo diligunt, eos etiam quos ille amicos ac familiares habeat, ipsius respectu, benevolentia complectuntur. Et par est (quod antè dicebamus) discipulum Magistro suo congruere: & sufficit servo, si sit Matt: 10.  
 sicut Dominus ejus.

Rursum (uti etiam in exercitijs commentatur S. Ignatius) sanequàm ignavus & probro dignus is miles censendus est, qui paratus non sit, eodem uti victu, vestitu, rebusque alijs, quàm Regem suum utentem conspexerit. Atqui ecce Rex noster, & Deus noster graditur ante nos, non alio visendus cultu, aut apparatu instructus, quàm paupertate, dolore, contemptu. Hic illi omnis regalis cultus & ornatus est; hoc paludamentum & trabea; hi corporis custodes, hoc satellitium, hi honorarij affectatores.

Et paupertas quidem in Scripturis sanctis cõmemoratur, tanquam insigne Regis nostri. Quippe & venturum prænuntians Zacharias, hac illum notà specialiter designat, Zach: 9.  
*dicens: Ecce Rex tuus ventur tibi justus & Salvator; ipse pauper, & sedens super asinam.* Et jam in mundum adveniens, hoc ipso signo dignoscendus proponitur; Angelo ad pastores dicente: *Et hoc vobis signum: Inveniit infantem pannis involutum, & positum in præsepio.*

In hoc autem uno, & reliquis, quem dixi, comitatus continetur. Nam & paupertati laborem & dolorem cognatum

*Prov. 15.* tum esse, satis notum est, juxta illud: *Omnes dies pauperis mali*: proptereaq; Christus utrumque conjunxit, de se ipse loquens per Prophetam: *Ego sum*, inquit, *pauper & dolens*. Eidemq; adherere contemptum, tum ex sacris profanisq; litteris, tum ipsa quotidianâ experientiâ compertum est, ut non immeritò dixerit antiquorum quispiam: nihil in se durius habere paupertatem, quàm quod homines ludibrio ac despectui faciat obnoxios.

Hæc igitur sunt insignia Ducis ac Regis nostri: his per omnem vitam spectabilem se tibi præbuit; in stabulo nascens, in laboribus vivens, in patibulo moriens. Proinde si cum, ut par est, sequi volueris, eodem te cultu ornari, iudicemq; rebus contentum esse oportebit.

*Quarto & postremo*: ut melius ad hunc perfectionis gradum, arduum quidem ac difficilem, sed in Dei oculis valdè pretiosum, pervenias; id tibi omnino persuadens, oportet: omne bonum tuum, felicitatem, pacem, in Christi Domini ac Dei tui imitatione consistere. Etenim, ut ait divina Scriptura: *Gloria magna est sequi Dominum*. Equidem antecessit ille gigantis instar, passibus ingentibus; et ultavit enim ad currendam viam paupertatis, doloris & contemptus: verumtamen & nos hortatur venire possidentidem respectans, & animos faciens, & manum porrigens opitulatricem. Tantùm non pigeat, quàm potes, loqui; si de propinquo affectari non potes. A parvis incipe & sensim ad summa pervenies.

Potes autem (ut & hoc praxis gratiâ admoneam) veli paupertatis studio ducto principio, ad reliquos comites plenioris viâ gradum facere, vel ausu magis heroico, à generosa germanaq; tui despicientia exortus, ad doloris deinde studium, paupertatisq; descendere. Quemadmodum enim quisquis paupertatem non fallaciter amaverit, ex contemtu quenti amabit etiam, quos pulchrè S. Vincentius appellat

paupertatis Sodales & amicos, famem, inquam, sitim, contemptum, despectionem: sic qui in suimet despicientia atque contemptu aliquousque profecerit, doloris ac paupertatis incommoda nihil admodum refugiet: quippe qui & ijs se dignissimū, & è contra omni consolatione indignum, censebit. Ita & à paupertatis amore ad sui contemptum, planus ac rectus processus est; & ab hoc ad illam, prona est facilisq; regressio.

Pro his ad extremum legi potest S. Bonaventura p. 1. Stimuli cap: 7. ascensu 3. ubi ex professo ostendit, tria ista, præsertim in Christo crucifixo apparuisse; & quomodo animus eum contemplantis exinde assurgat inflammaturq; eandem rerum desiderio; omnem jam honorem refugiens, eligensq; nudus esse cum Christo nudo, & omni repleti amaritudine & afflictione cum illo, quæ pluribus ibidem persequitur.

§. 3.

Ex tribus his quasi speciebus, familiarem quandam confici posse, morbus animæ nostræ medicinam.

Assidua igitur istius Christi comitatus commentatio, efficiet denique, ut eas quoq; res familiares nobis reddamus, & in usum nostrum consuetudinēq; convertamus.

Ex ista etenim trium specierum mistura, veluti ex quadam aloës & myrrhæ & succi absynthij compositione, conficientur (ut ita loquar) *familiares pilule*, amara illæ quidē, sed ad salutem oppidò efficaces, sine quibus nec ipse Salvator ullo momento esse voluit; & quibus quotidie, immò assidue, usi sunt, quicumque Christum propius sequi, eiq; sese speciatim probare studuerunt.

Profectò sine his esse noluit S. Bernardus, qui (ut ipse de se testatur) ab ineunte conversione sua, hunc sibi *myrrhæ fasciculum* colligare, & inter ubera sua collocare curavit.

*Serm. 43. in Cant.* confectum (ut ait) ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini sui. Quæ enim sunt illæ Domini nostri amaritudines, nisi res illæ humano palato adeo insuaves & injucundæ, paupertas, dolor, despectus? Quod ipse ibidem satis indicat, dum nos ad earundem amaritudinum arcum & indissolubilem complexum exhortans, sic ait: *Tu quoque, si sapiam, imitaberis Sponse prudentiam, atque hunc myrræ tam charum fasciculum, de principali tui pectoris, nec ad horam patieris avelli, amans illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assiduâ meditatione revolvens.* Testatus alibi, nihil non suave nobis futurum, cum omnes Domini nostri amaritudines collegerimus; easdemque (ut ipse loquitur) in vasculo pectoris, pistillo crebra meditationis contusas & commetas, & scilicet demum tanquam in massulam redactas, ad familiarem & quotidianum usum adhibebimus.

*Serm. de quadr. deb.*

*Serm. 10. in Cant.*

Eundem quippe Doctorem mellissimum, alio in opere, sed in argumento non dissimili, eadem atque nos in præserti, loquendi figurâ usum invenio: Dum Nazareni nostri vulnera, velut violas ac rosas Paradisi, ex iis; stillantes cruoris guttas, tanquam decidua eorum florum folia considerans, jubet nos ex illis quoddam quasi electuarium conficere, quo jugiter utamur ad medelam omnium infirmitatum nostrarum.

*De Pass. Domini. c. 43.*

*Accede huc (inquit) o fidelis anima, & collige tibi reliquias epularum sponsi tui, misas gratissimas, folia rosarum. Et ecce in quantâ multitudine distillant de manibus, similiter & pedibus, nec non & da latere dulcissimi Christi JESU. Non est morbus anima, cui his floribus mederi non possis. Collige autem folia florum florentis JESU, stillas sanguinis rubicunda, & tanquam pilulas sine quibus esse nolo, in cubiculo cordis tuarumconde. Erit tibi illarum sapor & odor in medicinam salubrem, morbos qui fuerint repellentem, venturosque caventem.* *Vita*

santum ne sine illis esse velis, quae verè nomen habent, qualibet  
fidei dicente, sine quibus esse nolo. Ita Bernardus.

Sed neq; sine his esse volebat Seraphicus Doctor, cum  
diceret: *En mori volo, nisi vulneres mentem meam. Nolo,* P. J. Stim. c.  
*Domine, sine vulnere vivere, quia te video vulnertum.* Neq;  
Seraphica S. Terecia, cujus hæc erat solennis vox: *Aut pati,*  
*aut mori;* quòd nimirum nollet sine passione vivere. Neq;  
S. Apostolus Franciscus Xaverius; qui afflictiones atq;  
zrumnas, ipsi cœlestium gaudiorum torrenti, quo ejus ani-  
ma perfundebatur, anteferebat; *in ipsis incommodis ac peri-* l. 4. c. 12.  
*culis* (ut in ejus vita scriptum legimus) *DEUM enixè precaba-*  
*tur, ne his ipsum eriperet malis, nisi ad majora mala divine glo-*  
*rie causâ reservaret.* Nec denique tot alij præclari Christi  
crucifixi discipuli, quorum sparsim hoc opusculo memini-  
mus; qui sicuti JESUM tenerè ardentèq; dilexere, ita hanc  
charam JESU Societatem maximè adamârunt & complexi  
sunt; gnari sine illa ipsum JESUM non inveniri, & quibus  
hic charus sit, etiam illam acceptam esse debere.

Ut enim hoc rursus cum B. Angela, pro hujus capituli  
clausula, dicam: *Hæc sunt dulcissima DEI dona, qua quicun-* Vit. c. 66.  
*que obtinere poterit, sciat se perfectum & consummatum in*  
*Christo, & Christum in eo per transformationem.* Et paulò  
inferiùs: *Et si non potest ista tria velle, sciat quòd multum est*  
*longè à Christi benedicta similitudine: quia ista tria associave-*  
*runt eum, in omni loco, & in omni tempore, & in omni suo a-*  
*ctu, similiter & suam Matrem, scilicet paupertas, dolor, & de-*  
*spectus, & ignominia in summo.* Sic illa.

Ades igitur Discipule crucis, & hæc pauca trade me-  
moriz. Neque enim multis præceptis constat ars perfectè  
sequendi & imitandi Christum; neque multo studio aut  
lectione opus est, ut tota Crucifixi disciplina, etiam à tar-  
dioribus, mente comprehendatur. Liber ille ante oculos  
nostros præscriptus (ut Apostolus loquitur) hoc est, JESUS  
CRU-

crucifixus, tribus tantum pagellis constat; dolore nimirum paupertate, despectione. Hoc compendium est Evangelii hæc summa vitæ, & passionis Christi Jesu. Breve dictu est, quo tamen totum dicitur: *Ama paupertatem, ama dolorem, ama contemptum*: & jam cum Christo crucifixus es; jam Christi vitam ac passionem in temetipso expressisti.

## CAPVT IX.

*Via trium dierum in solitudine; sive, Exercitium omnimodæ nuditatis & abnegationis sui, ad exemplar JESU Christi crucifixi.*

Exod. 8.

**Q**UOD olim Moyses ad Pharaonem: *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino DEO nostro*: hoc in rem præsentem non absurdè opinor, usurpabimus. siquidem si DEO perfectè placere, eiq; de nobis porum sacrificium exhibere volumus; nobis quoq; deserendum Ægyptus est, pergendumq; in vastam ac profundam solitudinem, hoc est, in mœstissimum cor benignissimi Jesu, in passione sua prorsus desolati & derelicti. Quod quâ ratione possit effici, aut quænam sit via trium dierum, quâ pergendum nobis in eam mysticam solitudinem, jam ingredior dicere.

§. I.

*Via prima diei in solitudine.*

**P**rima dies hujus solitudinis consistit in abdicatione & nuditate rerum temporalium, earum inquam, quæ vel ad carnis sensuumq; commoda, vel ad quotidianas vitæ necessitates, opportunitatésve pertinent. Ab his enim rebus desertissimum Christum fuisse, vel hinc intelligitur, quid

in laboribus à juventute sua, primùm in paupere parentum domo, non delicatam ac mollem, sed inopem duramque, ac labore fabrili exercitam vitam duxerit. Tum, inter labores disseminandi Evangelij, sæpe pondus diei & æstus, sæpe famem sitimve sustinens, ex aliena semper beneficentia vixerit, nullà certâ sede, nullo proprio loco consistens, ut ne haberet quidem (quod de se ipse testatus est) ubi fessum tot laboribus reclinaret caput. Tandem supremo vitæ suæ tempore, longè altiùs penetravit se in hanc solitudinem, in summa quæ esse aut fingi cogitatione possit rerum omnium desertione moriens; cum jam, etiam veste inter milites divisa, nudus penderet in patibulo, atque in escam fel, acetum pro potu, pro lectulo crucem, pro cervicali spinas haberet; neque omni duntaxat destitueretur auxilio aut solatio humanæ vitæ, sed per omnes sensus ac membra sacratissimi corporis, diris cruciatibus ac doloribus conficiaretur. Hæc paupertas fuit ac nuditas Domini tui Crucifixi.

Luc: 9.

Ex ejus igitur imitatione, si te in harum rerum abdicatione exercueris, si cum patientia & gaudio fortunarum jacturam aut paupertatis incommoda, si dolores corporis, morborum tædia, poenitentiae laborem libenter sustinueris, si demum relictis omnibus nudum Jesum nudus securus fueris; jam diei unius itinere in hanc solitudinem intraveris; hoc est (ne sic fortè totum te perfecisse putes) ipsa saltem Christianæ perfectionis initia, & spiritualis vitæ tanquam fundamenta posueris.

Quàm verò libenter habiturus sit te Christus socium in hac solitudine, declarant hæc ejus verba ad quandam dilectam suam, de S. Gertrude ægrotante: *Cum inestimabili gaudio expectavi tempus hoc, ut electam meam ducerem in solitudinem, ut ibi loquerer ad cor ejus.* Mox autem explicans quæ esset illa solitudo: *Verbi gratiâ (subdit) solitudo est infirmi-*

l. 5. Infn.

c. 1.

141

cas, ubi Dominus loquitur ad cor dilectæ suæ: unde verba Domini ad electam sunt tribulationes & gravamina cordis, &c.

## §. 2.

*Via secunda diei.*

Secunda dies ejusdem solitudinis, sita est in ea desolatione quam patitur anima, in defectione & desertione amicorum, eorum præsertim, à quibus spiritali aliqua necessitudine conjunctis, opem solatiūmq; in rebus dubijs, & interioris animi cruciamenti expectare debuerat: quæ desolatione, ipsis præsertim conversionis initijs, nescio an anime quærenti Deum obvenire quidquam possit acerbius. Itaque subinde usu venire videmus, ut qui ad cætera tela sine leni sint, qui bonorum direptione dolores corporis, aut quantumlibet austeram vivendi disciplinam pro nihilo ducant; hæc demum sentiant & ferant impatientius, si vel desit, ad quod de animi sui rebus liberè ac tutò referant, vel auferri contingat, cui jam suam conscientiam commiserint, vel eam denique, non pro eo ac vellent, aut res ipsa exposcere videretur, sibi studere existiment.

Quo quidem genere experimenti Sanctas Teresiam, Catharinam Senensem ac Genuensem, Lydvinam, aliasque Christi sponsas, non mediocriter exercitas ac probatas legitimus; ut in spiritalibus necessitatibus desererentur à conscientia suæ Directoribus, atque ab iisdem vel incerto spiritu duci, vel etiam ab Angelo tenebrarum manifestè decipi crederentur: divinam nimirum Providentiâ eas sensim docente in interiora solitudinis, ut ab uno Deo denique perdere condiscerent, atque ablatari ab omni etiam spiritali solatio, quod ab homine posset expectari.

Ad hoc igitur & tu experimentū te compara; & altera jam die, intra in desertum cordis Christi: qui (ut hunc etiam desolationis modum experiretur) ab uno discipulorum de-

micorum suorum scelere venditus, ab altero impie negatus, ab reliquis turpiter atque probrose derelictus, vix ad extremum dulcissimæ suæ Matris præsentiam, aliorumq; paucorum, recreatus est. Si tamen recreatum hoc aspectu, & non potius oppressum censebimus: cum ea fuerit in Filio ac Matre studiorum affectuumq; consensio, ea de corde in cor, tanquam in maris æstu, dolorum cruciatuumve repercussio ac reciprocatio; ut non tam ad solatium suum, quam ad majus amborum tormentum, eam voluerit juxta crucem assistere, & sibi adesse inter tot opprobria morienti. *Revera enim tunc, ô bone JESU (quæ Joannis Thauleri verba sunt) ex afflictione materni pectoris, novam crucem in te recepisti. Solus namque pondus & gravitatem dolorum ejus, hominibus universis incomprehensibilem, compassionis lance trutinasti. Et id quidem maximè exaggeravit cruciatus passionis tuæ, quòd non modò in corpore tuo, sed etiam in materno pectore crucifixus eras: quando & illius crux tua erat, & tua vicissim illius.*

*Explic: pass: c. 17.*

§. 3.

*Ejusdem sanctæ solitudinis dies tertia.*

Tertia dies mysticæ solitudinis est, non jam à creaturis tantum, sed etiam ab ipso Deo derelinqui; hoc est, privari omni interno gustu ac sensu spirituali, immo è diverso occupari tenebris & ariditate cordis: atq; interim in mentis apice, consuetâ pace ac tranquillitate potiri; quin potius hanc ipsam sui desertionem amare, ex puro desiderio perfectæ conformitatis, sive cum divina voluntate, quam homo præferat cuicumque suo solatio, sive cum mœstissimo corde Christi, in summa siccitate & angustia inter crucis brachia derelicti.

Atque hoc demum est, quod quondam Moyses, minare gregem ad interiora deserti; hoc, intima cordis Christi penetrare: qui jam jam spiritum emissurus, super hac sui

*Exod: 3.*

Qq q

extre-

extrema derelictione suaviter appellabat Patrē: *Deus meus, Deus meus*, inquit, *ut quid dereliquisti me?* Venerat quippe jam in profundum solitudinis, non modò jam à rebus creatis omnibus, sed (quod quidem ad partem animæ inferiorē attinet) ab ipso Deo divinisq; solatijs destituta. Nam hæcenus se derelictum dicit à Patre, quòd immensò illi suppliciorum ac tormentorum acerbitati, eo volente, objectus sit, nullà interim in afflictam animam, ex beato divinitatis intuitu (quo mens ejus perenniter & imperurbatè fruebatur) redundante particula gaudij, quã (ut multis Sactorum usuvenisse scimus inter cruciatus atrocissimos) mitigaretur saltem ex parte ac retunderetur sensus acerbissimi doloris. Itaque sanctissima & mitissima illa anima purum ac putum fel sorbebat passionum suarum, amaritudinem, inquam amarissimam, nullo vel humano vel divino solatio temperatam.

Grande desertum & vasta solitudo est in corde hominis ad eum modum derelicti: qui si nihilominus fidelis & constans in tentatione permanserit, nec de cruce descendens, ad vana solatia & infima sensuum oblectamenta se converterit, sed in omnibus divinum beneplacitum generosè ac promptè secutus fuerit, eiq; se perfectè conformaverit: is jam post trium dierum viam, verè sacrificat Domino in solitudine, semet ipsum in integrum holocaustum in altari cordis Christi offerens, nullam sui partem retinens, nullà re gustum suum querens, in nullo se ipsum sentiens: in quo consummata totius hominis abnegatio, & quædam animæ in Deum, ut ita dicam, resolutio consistit.

Hæc enim est illa suprema & beata paupertas spiritus; eum fundo animæ exinanito ab amore rerum univèrsarum quæ Deus non sunt, sola Divinitas replet omnes angulos cordis: ut proinde, si verum loquamur, nunquam minus sola sit anima, quàm cum sic sola est. Sed tamen sola est; quia

quia omnibus quæ de foris advenire possunt, exclusis, nihilominus (velut sponsa in lectulo suo per noctem dilectum, *Cant. 3.* querens) eum cuius amore cætera exclusit, non invenit: quippe qui se adesse dissimulet, consueta nimirum suæ præsentis argumenta subtrahens, illam tenebris, horrore, angore circumfusam relinquens.

Illa igitur anima Deo sacrificat in terra deserta, in loco horrore & vastæ solitudinis: quæ, etiam undique destituta ac desolata, omnem animi sui propensionem divino beneplacito planè subjicit: ita ut proinde ei sapiat divina bonitas, eamque juxtà laudet & approbet, sive ipsam molliter, seu durè tractet, & sive in luce consolationis, sive in tenebris desolationis esse velit; quia nempe Deum purè & castè diligens, in ipso Deo nihil nisi Deum quatit.

Sed quoniam ea res summi momenti est in via spirituali, de ea nobis paulò uberius agendum est.

## CAPVT X.

### *Exercitij ejusdem ulterior declaratio.*

#### §. I.

*De duplici sapore Christi IESU; & quod summa virtutis in eo sit, ut etiam absq. spiritali dulcedine, afflictiones æquo animo toleremus.*

**S**anctus Bernardinus Senensis tomo 3. suorum operum. *Serm. 9. de*  
Hoc idem argumentum pertractans, cum illud posuisset: *B.V. a 3. c. 1.*  
Christum in se duo continere saporum genera, reliquorum saporum differentias contingentia; quorum primus est, sapor dulcoris; alter, sapor doloris seu amaritudinis: atque utrumque hunc gustum expertos, tum Beatissimam DEI Matrem, tum Vas electionis Paulum Apostolū; nec verò illius

interioris amaritudinis expertem fuisse animam Salvatoris, ad extremum rectè solidèq; concludit: summum cultum, ac velut apicem Christianæ patientiæ in eo consistere, si etiã omni spiritali dulcedine destitutus, tamen Dei causa libenter adversa sustineas; multòq; esse perfectius, ut ipse loquitur, in passionibus consolationum penuriam pati, quàm consolationibus abundare.

Atque huic suæ conclusioni firmandæ, brevem sed fortem adducit epistolam B. Fratris Jacobi de Tuderto, de duplici sensu divini amoris, ad sanctum item virum ex eodem Ordine Seraphico F. Joannem de Alverna, per id tempus ægrum animo, & consuetis animi delitijs, divinisq; sensibus carentem. Quæ quidem epistola, quâ parte Latine scripta est, ita habet ad verbum.

*Magnum reputavi & reputo, scire de DEO abundare. Quare? quia ibi exercetur humilitas & reverentia. Sed magnum reputavi & reputo, de DEO scire jejunare, & penuriam pati. Quare? quia exercetur ibi fides sine testimonijs, spes sine expectatione, caritas sine signis benevolentia. Fundamenta autem in montibus sanctis. Per hac fundamenta ascendit anima, ad illum montem coagulatum, in quo gustat mel de petra, oleumq; de saxo durissimo. Hæc B. Jacobus.*

Quibus, licet brevibus, sed succo plenis divinæ cujusdam Sapientiæ, illud quod contendimus, efficit: Hominis profectum ac perfectionem in via spiritali, non (sicut eorum rerum imperiti existimant) de cœlestium voluptatibus ac copia, quibus Deus animas sibi dilectas (sub ipsa præsertim vitæ spiritalis inicitia) mulgere solet ac perfundere, non ex illa blanda familiaritate Sponsi cœlestis & tanquam teneris osculis & delicatis amplexibus, petendum & metiendum esse: sed ex solidarum virtutum exercitio, etiam in dilecti absentia, ex amore forti atque robusto, qui sciat, etiam de Deo jejunare, & suo quasi succo vivere; hoc est,

non DEI donis aut consolationibus duci, sed in uno ejus beneplacito, quæcunq; tandem sit rerum facies, perinde acquiescere. Hoc enim præ illo dubitari nequit, ipso suo genere, præstabilius esse ac DEO dignius.

Illecebræ illæ spirituales lac infantium sunt, & velut esca, quæ conciliantur ac tenentur in noviter suscepta disciplina; ne spiritualis vitæ amaritudine territi, sensim ad terrena solatia, & jam abdicatas carnis illecebras defluant. At inter acerbas animi cruces, absque sensu aut gustu spirituali persistere, & istam animi carnificinam, cum amore casto, & integra sui sub divinos nutus subjectione sufferre; hoc scilicet robustæ virtutis est, panis fortium, grandium animarum exercitatio.

Atque hoc est, quod S. Gertrudi Christus revelare dignatus est: tum demum sibi prorsus placere suorum electorum studia, si DEO serviant expensis suis. Illos autem suis expensis DEO servire, qui licet saporem devotionis minimè sentiant, in susceptis tamen pietatis exercitijs, quoad possunt, fideliter perseverant.

L. 3. c. 18.

§. 2.

*Christum purè amanti, etiam divina solatia refugienda, & pro suspectis habenda.*

EX quibus profectò illos decipi necesse est; quos, si contigerit divinis solatijs affluere, aut vel levi guttà respersi celestis voluptatis, tum demum beatos se, & DEO in paucis dilectos existiment: contrà, si spiritualis ariditas, si tenebræ mentis ingruerint, quasi offensum DEUM experiantur, ita de salute sua conclamatum putent. Sed audiant, in rebus spiritus experientissimū Blossum, singula suis ponderibus (ut solet) æstimantem. Si dulcedine, inquit, intervenâ repletus, & supra se ipsum elevatus, usq; ad tertium celum evolaveris, ibiq; cum Angelis miscueris colloquia; rem tam grandem non facies, sicut si grævamen & exilium cordis pro DEO tuo

Spec. Monach. divis. 2. affe-

affectuose sustinueris, ipsiq; Salvatori conformatus fueris: qui  
in extrema tristitia, eadio, pavore & angustia positus, dixit  
Patri: fiat voluntas tua.

2. de Imit. c. 9. Subtractionem internæ dulcedinis cum religioso Tho-  
ma Kempensi exilium cordis appellat: sive quòd in illa au-  
ditate mentis, cor veluti exulat ab homine, quemadmodum  
in Psalmo 39. *Cor meum dereliquit me*: sive quòd tunc homo  
in ipso corde suo, tanquam in exilio & ignoto solo veretur,  
non eandem in illo rerum faciem, non eosdem sensus  
atque affectus inveniens. Quod quidem cordis exilium,  
ex DEI amore & Christi imitatione sustinere; hoc decommu-  
nitate auctore Blofio, vera & solida animi devotio est, non (ut  
alioqui sæpè usavenire solet) superficies tantum aut umbra  
devotionis. Qui DEI dona studiosius æquo requirunt,  
aut eorum tamen ipsi spirituali dulcedine nimis tenentur, non  
DEUM in illis, sed se ipsos non purè diligunt. Atqui summa  
virtutis perfectio, in amore puro atque defæcato sita est  
eâq; propter nonnullos Sanctorum legimus, ipsa etiam di-  
vina solatia, quantum in ipsis esset, vitare ac defugere soliti  
fuerunt; ne fortè in illis, & non in DEO purè ac quietè, amoris  
sui sinceritatem aliqua ex parte insicerent.

Cap. 3. 6. 17. Atque id in primis de B. Catharina Genuensi prædicat  
37. vitæ ipsius locis pluribus invenio. Quæ cum sub sacramen-  
tum Communionem, in suavissimi Sponsi complexu, celestibus  
gaudijs ac delicijs inebriaretur, ad Amorem sanctum  
blandè conversa, (hoc enim nomine Christum Sponsum ap-  
pellare consueverat) Itane, agebat, mecum agitur, Amator  
mi? & me his amoris blanditijs lactare, & tibi propius ob-  
jungere conaris? Atqui id non semel à te contendi, ut hoc  
quidquid est cœlestis suavitatis subtraheres, neque illa me  
dulcedine, sed vero & puro amore duceres. Non enim quæ  
te derivantur ac profluunt, sed ipsum te volo, dulcissime  
Amor mi. Quibus paria legimus in vita Pudentianæ Ze-  
gnoni

gnoni. Hæc enim itidem, si quo solatio impertiretur divinitus, solebat super hoc queri dulciter, & dilectum suum dictis talibus appellare. Non istæ equidē tua fuere promissa, Domine mi, dum nudum ac parum pati mihi pollicebare. Ecquā verò culpā aut infelicitate meā, bone Jæsu, isto me thesauro spoliare contendis? Suspende, amabo, benignissime animā meā Sponse, hoc tam mihi grave iracundiæ tuæ consilium; & mihi vel tantulum intervalli permitte, dum præteriti temporis culpam, quo pretiosum crucis tuæ margaritam, non uti par erat, ad meos profectus converti, contentiore curā compensare satagam. Sic illæ. Possentq; aliæ plures proferri animæ sanctæ, quæ ijs carere divinis illecebris optaverint; quod præ illis purum pati pro Christo eligerent, easdēmq; (ni sedulo caveatur) puro amoris DEI venenum esse sentirent; uti nominatim loquebatur jam laudata B. Catharina: ausa etiam dicere, ejusmodi gustus spiritualis, quod incautam animam sensim inescit, & sub specie boni blandè decipiant, homini spirituali magis quàm diabolum esse cavendas. Quod neque absurdè, neq; imperitè dictum sentiet, qui attenderit Doctorem Seraphicum ab eo sensu nihil admodum dissidere. Is quippe de ea dissens ebrietate spirituali, quæ consistit (ut ait) in quadam admirabili dulcedine cordis, docet semper securum esse de ea dubitare: quia diabolus transfiguratur se in angelum lucis, & consuevit aliquando similia procurare. Vellet enim quod homo superbiret, & se aliquid reputaret, ut talibus delicijs fruere, & ibidem quiesceret, ut sic averteretur à DEO. Et ideo (subdit) cum summa diligentia attendendum est: ut quandocumq; acciderit talis delectatio, aciem mentis in DEUM dirigas, nec ab ipso cor tuum discedat: & si delectari oporteat, solum delecteris in DEUM. Ad extremum autem (quod præfertim huc facit) ita concludit: Ideo pleno corde, dum sumus in hac valle miseria constituti, debemus magis appetere cum Christo cruci-

cap. 1. Diab.

sub fin.

P. 3. Stim.

c. 6.

*crucifixo affligi, quàm periculosi delicijs affluere.* Quapropter ex hujus S. Doctoris aliorumq; Sanctorum sententiâ, conficere licet quod agebamus: animæ nimirum Christum crucifixum purè amanti, dulciculos illos, tametsi spirituales sensus, cum absunt, requirendos non esse: cum adsum autem, cavendum sedulò, ne illis capiatur animus; eodémq; potiùs veluti suspectos atque periculosos, cavendos ac defugiendos esse. Nisi fortè (ut scitè excipit B. Magdalena de Pazzis) ij sint hujusmodi, qui ad crucis amorem & laborum patientiam nos excitent. Alioqui enim ipsa negabat eos per sese optandos esse: addens, Deum non inveniri in his suavitatibus, sed in vera virtute: hanc autem non acquiri dulcedine, etiam in rebus spiritualibus, sed locum & tanquam sedem veræ virtutis esse, in arumis, angustijs, & summè intensa magnarum vexationum acerbitate.

Fit. p. 4. c.  
3.

## §. 3.

*Crucem etiam nudam, & solatij expertem, Christi exemplo amplexandam esse.*

HÆc igitur eo consilio dicta sint, ut (quod durum quidem ac difficile, sed heroicæ virtutis genus est) ex Christi Salvatoris imitatione, crucem etiam nudam, & omnis spiritualis solatij expertem ac vacuum, amplexari condissemus. Hoc siquidem inter crucem Christi, & crucem Sanctorum interest: quòd Christus crucem, ut erat etiam decorè nuda, scabra, aspera, insuavis, complexus sit; quippe nondum ipsius tactu consecratam ac decoratam, nondum, emollitâ nativâ duritie, de membris ejus sanctissimâ, eâ quam jam habet, suavitate aspersam ac delibutam: ut proinde in cruce nihil nisi crucem, hoc est, omnium acerbitatum complexionem, meram, inquam, amaritudinem inveniens, velut eâ oppressus confectusq; exclamaret: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

At plerique Sancti, non jam crucem nudam amplexantur, sed ipso Christo crucifixo ornata, Sponso utique roseo ac mellifluo: ut jam in ipsa cruce nihil minus sentiant quam crucem, sed retusis atq; hebetatis dolorum aculeis, ipsas potius beatorum delicias experiri ac prægustare viderentur. Sic enim permultos Sanctorum Martyrum legimus, dulci illo musto de crucis toreularibus redundante, ita in pœnis suis recreatos hilaratosq; fuisse, ut tanquam eo mero ebrij, vulnera sua non sentirent, quin potius pro candentibus prunis, quas nudis pedibus premere cogentur, rosas se calcare crederent; & inter manus ac tormenta sevientium carnificum, nunquam se dicerent jucundiùs epulatos.

Attamen hoc veriùs felicitatis fuerit quàm virtutis. Neque illo musto semper porat DEUS electos suos, sed felle quandoque & absinthio merissimo: ut ne crucem denique propter unctionem adament, discantq; servire DEO suis impendijs, hoc est (ut etiam S. Ignatius loquitur in Exer- *Reg. 9. ad*  
citijs) absque præsentè stipendio divinæ consolationis. At- *moty anim.*  
que in hunc modum ingruente spiritus desolatione, dico *Ec.*  
enitendum nobis esse, ut ad Salvatoris exemplum consue-  
scamus crucem etiam nudam amplexu stringere; aut, quan-  
do jam crucem sine Christo non invenimus, eandem cum  
Christo, sed desolato ac derelicto, stringamus.

Ad quam etiam mentem S. Teresia sorores suas for- *Itin. perf.*  
mabat, cum diceret: DEUM videlicet, dum nobis gustum *c. 17.*  
& suavitatem negat, nos quasi generosos milites tractare  
velle; nobis in hoc mundo sic crucem imponendo, sicut  
eam majestas illius, quoad vixit, tulit: scilicet sine gustu &  
suavitate. Proindeq; negabat illum sincerius nobis aut ma-  
jus amoris argumentum præbere posse, quàm hoc ipsum no-  
bis dando, quod ipse sibi aliàs expetierit ac depoposcerit.

## CAPUT XI.

*Quo pacto anima desolata sese resignabit ac  
proijciat in sinum & brachia Cru-  
cifixi.*

**D**EI servus in spiritali tristitia, aut quacunq; alia afflictione constitutus, non debet anxie abs rebus creatis doloris sui solatia requirere, multò minùs, tædio suo levando, ad illicitas aut vanas sensuum oblectationes divertere: sed omni spe suâ in Christo crucifixo repositâ, sub vlamentum confugiat alarum ejus, & in ejus brachia protectionemq; se proijciens, ab illo exemplari desolatorum, opem ac solatium in sua desolatione, cum plena animi resignatione, requirat. Hoc enim præsertim eo in articulo expectat Deus, experiri volens ingenuitatem amoris nostri, & num ijs jam sumus viribus, ut ab ipso solo pendere, ab alijs rei adminiculo possimus.

Cæterùm ut hujus utilissimi Exercitij, formam aliquam ac praxim subiiciam; poteris, cum animo ægrum, aut angore oppressum te senties, in hunc similemve, si videbitur, modum te exercere.

## §. I.

*Ejus Exercitij Pars prior.*

*3. Regum 19.* **P**Rimò igitur ad instar Eliæ, qui in solitudine, moerore confectus, abjecit se sub umbra juniperi: ita in moeroribus & angustijs tuis, proijce te sub umbra crucis. Ibi dolores tuos, aut afflictæ mentis tædia, cum moerentissimo afflictissimòq; Jesu, velut cum amico fideli, fidenter ac blande communica: in ejus sinum curas tuas omnes deponere. *Pfal. 37.* Dico illi cum Propheta: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Ecce, o mea sola

folia salus, ut dolore afflictus, ut luctu poenè prostratus jacet  
verbo, derelictus & tibi quodammodo non absimilis servus  
tuus. *Anima mea, sicut terra sine aqua tibi: expectans rorem* *Psal. 142.*  
de vulneribus tuis stillantem; pluviam voluntariam, quâ  
perfusum cor meum recreetur ac refloreat, & pristinae fru-  
ctum devotionis inveniat.

Dicito item cum sororibus Lazari: *Domine, ecce quem* *Joann. 11.*  
*amas infirmatur.* Nam quin impensè me diligas, dubitare  
non sinit, vel ea, quam cerno, figura & habitus in cruce  
suffixi corporis tui. Dilectionis tuæ pignus teneo, expas-  
sas manus, vultum in me propensum, apertum latus, san-  
guinem totis venis seaturientem. *Patent mibi viscera per* *Aug. Man. c.*  
*vulnera. Si non amares, talia pignora non dares.* *21.*

Dicito denique cum S. Bonaventura: *Ergo bone Do-* *Idem in ps.*  
*mine JESU, recollige me visceribus, refice uberibus, & inebria* *90.*  
*me vulneribus.* Recollige dispersum, refice lassum, inebria *P. 2. Stim.*  
languentem, ac sitis ariditate fatiscentè: ne fortè deficiam *c. 18.*  
in via, si jejunum siccumq; dimiseris, & destitutum conso-  
latione tuâ. Atque his aliisq; (quos præfens usus ac ne-  
cessitas suggererit) animi afflicti pijs sensibus & aspirationi-  
bus, in secreto cubiculi tui, sub umbra crucis captabis au-  
ram; & vel ad ipsum Crucifixi conspectum (nisi mea me-  
fallit opinio) ab ijs euris quæ te cruciant, nonnihil levare &  
respirare poteris.

*Secundò:* Si animo altiùs insistens mœror, istam exer-  
citij instantiam dicam, an vicissitudinem poposcerit: po-  
tes humili seclâ confidens, ipsam effigiem Crucifixi in sinum  
accipere, & nunc ejus pallentem vultum, aut acutis spinis  
pressum verticem, aut hians vulnus divini cordis, devotis  
oculis contemplari, animiq; tui mœstitiam eo velut thea-  
tro ac spectaculo sanctè fallere; nunc per omnia sanguino-  
lenti corporis seu membra seu vulnera, pia oscula dividere,  
eademq; (si quas) occlusus dolor invenire possit contriti  
R r r 2 cordis

cordis lacrymas) isto tanquam cordis tui sanguine respergere; postremò vel ori genivæ appressum tenere diutius, vel in ejus arctiore complexu, juxta ac si dormitet anima tua, præ tædio, hære dulciter & quasi acquiescere, nec illum dimittere, nisi benedixerit tibi.

Sanè hoc solatij & levamenti genere, in animi sui doloribus uti solitum invenio Rupertum Abbatem; nequaquam sine pretio operæ. Nam, ut ipse de se scriptum reliquit, *L. 12. in Mat.* cum die quâdam, varijs confectus angoribus, in Sacella B. Mariæ post altare occultè confidens, teneret in sinu complectereturq; altari detractam Crucifixi è ligno effigiem, eandemq; defixis circum osculis sollicitaret, & crebrâ (ut consuêrat) capitis demissione adoraret, datum est illi divinitus, obductis repentè corporis luminibus, interiore oculo videre DEI Filium in cruce velut viventem, ipsumq; Rupertum aspectu benignissimo consolantem, in dicantem, quàm sibi accepta esset ea, quam tam piè usurparet, exercitatio. Ex quo ille viso non modò præsentimolestia relevatus est, sed tanto etiam divinæ voluptatis sensu perfusus, ut exinde per multum tempus retinuerit in ore animæ, guttur quendam illius, quam tum perceperat, ineffabilis suavitas.

*Tertiò:* in eo Christi crucifixi sive conspectu, sive complexu, certioris solatij gratiâ, circa roseum cordis ejus vultus, diligentius ac studiosius occupabere: fingesque tepidam cogitatione, nunc de latere illo divino erumpentem sanguinem, veluti doloris medicamentum, sugere; nunc erundantem inde vaporem suavissimæ charitatis haurire; nunc in ipsum divinum cruorem mærores tuos intingere, & amara tædia eodem quasi intinctu condire.

Quod utique genus solatij promptum ac sibi familiare habuisse fertur S. Lutgardis. Quæ videlicet, ut proditor *L. 1. c. 7.* autor vitæ ipsius, si quo animi aut corporis incommodo conflictaretur, stabat coram imagine Crucifixi, & confestim

stim in Christum absorpta, intuebatur illum sibi presentem, ejusq; lateris cruentum vulnus, cui os suum adjungens, tantam inde sugebat dulcedinem, ut jam nullam re posset affligi.

Quamobrem etiam religiosam Virginem hortabatur S. Bonaventura: ut si quid tristius asperiusve, si quid tædij aut amaritudinis incideret, illico recurreret ad Christum, crucifixum, ejusq; sacratissima vulnera pedum, manuum, capitis, ac præsertim lateris attentius contemplaretur; re-

colens inquit, qui sic pro te passus est, qui tanta pro te susti-  
nuit, quantum te amaverit. *De perf. vir. c. 6.*

Crede mihi, quia statim tali in-  
ruiu, omne triste latum, omne grave leve, omne tædiosum a-  
mabile, omne asperum dulce & suave reperies; sicut & tu in-  
cipias exclamare cum Beato Job & dicere: *Job. 6.*

Qua prius no-  
luit tangere anima mea, nunc propter angustiam passionis Chri-  
sti, cibi mei sunt: quam dulcia & delectabilia facta sunt mihi.

Quod exemplo confirmat viri cujusdam Religiosi, qui cum ob consuetam victus asperitatem, severitatemq; religiosæ disciplinæ, grandi tædio oppressus esset, solatij gratiâ pro- cidit ad Crucifixi imaginem; & ecce repente de perfosso si- mulachri latere sanguis manare cœpit, unâq; ad aures allabi Crucifixi vox, admonentis, ut quoties ciborum austeritate offenderetur, eos Christi sanguine intingere ac condire af- fuefceret: ita omnem ab ijs horrorem & amaritudinem, de facili abstergendam, atque in suavem jucundumq; saporem commutandam. Quod aded non uni contigisse, refe- runt alij; ut exemplis pluribus demum compertum habere- mus; nihil esse tam amarum in vita, quod piâ mentis com- mentatione intinctum in latus Crucifixi de divini cordis suavitate dulcescere non possit.

§. 2.

Ejusdem Exercitij pars posterior.

Quar-

**Q**uartò: Postquàm hac ratione afflicto animo nonnihil indulgeris, & dolori tuo hoc tanquam spatium laxamentumve concesseris: assurge paulatim, & omisissis questibus, ad ipsum Crucifixi aspectum, velut ad speculum, animum tuum licet oppressum mœsticiâ, ad quandam in primis æquabilitatem & indifferentiam compone.

Ingredere piâ meditatione in mœstissimum cor benignissimi Jesu; gusta & experire, si potes, amarorem ejus ablinthij, quo dulcissima ipsius anima, sub suum excessum, undique infecta & confusa est; & istam mœroris, quâ velut absorberis, guttulam, in immensam illam amaritudinis abyssum immerge.

Indue cor secundùm cor afflictissimi Jesu. Qui tamen ad suæ derelictionis acerbiteriam declarandam, de ea cum Patre dulciter expoitulare visus est; non tamen idcirco, naturæ desiderio velut obsecundans, illam cordis sui amaritiam à se amoliri aut excutere voluit; sed uti in primis horti Gethsemani mœroribus, ita in his supremis, propensionem omnem voluntatis suæ, ad paternæ definitionis nutum subjunxit atque accommodavit.

Sed & paucis antè diebus, in agonem extremum quàm descenderet, cum imminentis passionis injecta cogitatio, ejus sensus nonnihil commovisset, en ut sese rursus permitteat Patri, animiq; sui propensionem ad ejus gloriam ac voluntatem inflectit. Sic enim loquitur Joannis 12. cap. *Nova anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc Pater, clarifica nomen tuum.* Verbis pauculis, sed variâ scilicet subnascitium simul affectionum commotione concisis, omnem presentis exercitij rationem mihi videtur esse complexus. Nam primùm in illa anxia mentis ægritudine, hæret veluti petens animi, num & quale dolori suo levamen aut solatium exquirat. Tum verò, ne nullus in eo humanitatis sensus

esse videatur, ut ab instanti malo liberetur, flagitat Patrem. Continuo tamen, tanquam affectum suum corrigat, amplectitur ulterò oblatum amaritudinis calicem, quippe qui illius ergò in mundum, & in hanc ipsam horam venerit. Ad extremum proinde Patrem obsecrat, ut, nullo ipsius desiderij respectu, solius divinæ suæ gloriæ claritatisq; rationem habeat. Hanc igitur formulam sequi potes & tu in desolatione tua; dicendo cum ipso Salvatore: *Nunc anima mea turbata est, &c.*

*Quintò:* Verum ut ad illud, quod in hoc exercitio supremum est, & genus quoddam robustioris solatij, gradatim tandem pervenias; hoc est, ut presentem moerorem & ægritudinem, non æquo tantum, sed etiam libenti animo, pro Christo & cum Christo sustineas: incipe amare derelictionem tuam, quòd per eam Christo derelicto ac desolato, aliqua ex parte, similis efficiaris.

Gaude per te augeri numerum eorum, qui Christi passionibus communicent, eiq; in summa destitutione atque angore constituto, fideliter & constanter assistant. Gratiàs age æterno Patri, quòd ex singulari in te amore, tractet te instar Unigeniti & unicè dilecti filij sui. Offer illi hunc cordis tui laborem, conjunctum doloribus Unigeniti, in gloriam ipsius & laudem æternam.

Ita ipso amore sensim dulcescet amaritudo tua, & (ex Asceticorum Doctorum sententiâ) rem præstantiorem, Deòq; acceptiorem feceris, quàm si longâ inediâ corpus aliisve afflictationibus attriveris; eiq; proinde eris charior, & ad capellenda majora quædam & diviniora dona apparaberis. Nam (ut quidam amicorum DEI apud Blossium ait) quem *Instit. spirit. DEUS donis potioribus exornare, sublimitèq; transformare* c. 8. *decrevit, eum non blandè aut molliter lavare, sed totum in mare amaritudinis immergere consuevit.* Et Christus ad Henri- *Dial. sap. c. cù Sufonem: Quanto externa tua crux fuerit acerbior, & in-* c. 18. *tus*

*tus ipse magis derelictus fueris, tantò propius ad meam accedes similitudinem, & aeterno Patri eris charior. siquidem hac ratione precipui DEI amici probantur.*

## §. 3.

*Quaedam in eandem rem observatu digna adduntur.*

**A**D extremum placet, velut appendicem, ista quæ sequuntur adjicere. *Primum: Quod de recurso ad Crucifixum in desolatione jam diximus, id pariter ad alterum illud desolatorum exemplar, afflictorumq; per fugium, sanctissimam, inquam, DEI Matrem utiliter extendi posse. Juvabit enim te subinde in afflictione tuâ ad Matrem dolorum hoc ferè pacto confugere. Contemplare illam, juxta crucem filij assistentem, mœrore ac luctu oppressam, sed quò filio suo similior evaderet, in summis cordis sui pressuris, absque solatio derelictam; ut jam tacitâ secum cogitatione diceret: *Ne vocetis me Noëmi (id est pulchram) sed vocate me Mara (id est amarâ) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Nunquid enim (ut ait ad ejus imitationem nos provocans B. Angela) MARIA Mater JESU dilectissima, videns dilectum filium suum in cruce pendentem & morientem, petivit tunc ab ipso dulcedinem aut consolationem? Certè nequaquam: sed angustias ab eo accepit, amaritudinem & dolorem.**

Adjunge te illi socium in desolatione sua. Postula amanter, ut quemadmodum dolorum ejus aliqua ratione es particeps, ita confors existas amoris, & summa illius cum voluntate divina consensionis, per quam ipsa Virgo (uti agebat S. Catharina Senensis) facta est scala, quâ Christus ascendit in crucem. Quòd nempe nec ipsa (ut pluribus antea demonstratum est) proprio filio suo pepercerit; sed, Patris voluntate perspectâ, eum lubens volensq; pro nobis omnibus tradiderit: proindèq; ei (quæ pia est Joannis Thauleri meditatio, innuitq; Christus apud B. Birgittam) gratius fuisse

*Expl: pass. c. 23.  
L. I. R. 9. c. 20.*

sic tanto suo destitui solatio; quam, si ei liceret, hominum impedire redemptionem. Et quia (ut subjicit idem autor) DEI intelligebat voluntatem, ut unà cum filio suo pateretur, sponte sese ad hoc obrulit, etiam mori paratissima, unà cum JESU nato suo, pro salute ac redemptione miserorum.

Alterum quod hinc observamus, est: hoc capite traditam se ipsum consolandi rationem, non facile cuiquam, quamlibet desolato, deesse posse. Semper enim homini bonæ voluntatis patet recursus ad Crucifixi seu brachia seu vulnera, sempèrque copia est de Salvatoris fontibus, si non largiter hauriendi, at stillam saltem aliquam libandi. Experta hoc est B. Lydvina, quæ cæteris subinde destituta divinis solatijs, in hoc denique solo exercitio, doloris sui remedium atque allevamentum inveniebat. In hunc enim modum ipsa de se loquitur: *Hoc tamen mihi relictum est, quod vitam* *Vit. p. 3. c. 8.*  
*& passionem amantissimi JESU, avida mente percurro. Nec mihi ulla superest, meo judicio, exercitandi facultas, nisi ut dilectum per noctem in lectulo crucis quaram, & à Patre derelictum absque spiritus dulcedine aspiciam, & mente complectar in cruce morientem. Sic illa.*

Quocirca etiam S. Teresia, hoc ipsum pro facili & afflictis omnibus obvio solatio proponebat, dicens: *Si quâ arumina aut tristitia opprimaris, intueere illum* *Itin. perfect. c. 26.*  
*in hortum Gethsemani abeuntem, & considera, quam amillunt tristitiam in corde suo gereret. Aut respice illum ad columnam ligatum, & toto corpore flagellis concisum, idque ex vehementi amore, quo te prosequitur. Denique respice crucem bajulantem, & ita sub ea gementem, ut ne spiritum quidem attrahere permittatur. Respiciet ille vicissim blandis & benignis oculis, sed lacrymis oppletis, & suorum ipse tormentorum obliviscetur, quò te in tuis arumnis soletur.*

Postremum: Nullam hac esse efficaciorè certiorè-ve rationem, obtinendi à Deo opportuni solatijs; quam si in tua desolatione, uti dicebamus, plenè atque integrè ei te

S S tradas

tradat atque resignet; paratus etiam per omnem vitam (si ita ferat ejus voluntas) quocumque solatio destitui, atque in perpetua ariditate cordis animique desolatione vivere, eò quòd, ex Christi imitatione, pro unico ac summo solatio tibi sit, per te, in te, & de te, fieri ejus sanctissimam, tibi acceptissimam voluntatem. Ut enim præclare Abbas Blos-

*Narr. tit. p. 26.*

sus: *Homo resignata voluntatis, qui in quibuslibet tentationibus, angustijs & doloribus suis, novit amanter fidere DEO, securus se & omnia sua paterna providentia illius committere, is planè cor DE vulnerat, & ipsum Dominum cogit sibi adesse.*

Quòd si fortè Deus eundem ad tempus, aut (quòd rarum, erit) in vitæ reliquum, in illa sensuum obnubilatione, aut cordis oppressi defectione destituar, neque eum ulla sensibili (ut ajunt) consolatione recreet, quòd ad suam gloriam ejusque salutem ita fieri conveniat: attamen non omittet illa bonitas, eum gratiâ suâ ad quandam majestatem generosæ patientiæ amorisque fortem confirmare; ut jam Dominum suum purius diligit, ac plura pro eo pati amet, sicque ei sua desolatio, ad dilectionis DEI aliarumque virtutum solidorum

*Reg. 3. ad mot. anim. discern.*

augmentum proficiat: quòd, ex sensu S. Ignatii in Exercitijs, genus quoddam est veræ atque robustæ consolationis spiritualis. Ut hic jam non addam, quòd proximo capite demonstrabitur; ut alia deficient, grande esse solatium. Christum amanti, posse pro dilecto quidpiam sufferre, & in paupertate, labore, dolore, derelictione, Domino suo pauperi, afflicto, derelicto assimilari. Itaque vir magnus, & in rebus spiritus multum exercitatus S. Franciscus Salesius, negabat etiam in extrema desolatione spiritus, ejus liberationem esse à DEO expectandam.

Neque admiratione tantum fortassis, sed etiam imitatione dignum videbitur nonnullis, quibus ad id Deus firmum animi robur addiderit, quòd in vita Venerabilis servæ

*L. 2. c. 2.*

DEI, Mariæ Victoriæ, de quadam ipsius spiritali filia commemo-

moræ

moratur. Quæ cum ab initio susceptæ vitæ religioſe, in omni ſuimet abnegatione, vexatione, odio, ac pene ultra modum, verſata eſſet, atque inter ea ſanctæ ſeveritatis exercitia, magno júbilo ſpiritus diviniſq; raptibus fruere- tur, tandem Deo purius ſerviendi deſiderio, in ipſius divinæ Majeſtatis conſpectu, omni in poſterum renunciavit guſtui ſpiritu- ali, contenta in reliquam vitam quocunq; deſtitui divino ſolatio, & (ſi Deo id allubeſceret) non modò quibus- vis conſiſtari externis incommodis, ſed etiam in omnimo- da ſpiritus deſolatione verſari. Atque hanc puram gene- roſamq; omnis ſolatiſq; abdicacionem Deus acceptam habu- iſſe viſus eſt. Mox ſiquidem illam multiplex agritudo cor- rumpit, unà cum profunda deſolatione ſpiritus, quæ uſque ad extremum vitæ tenuit: Deo interim illam in ſupremo mentis vertice, ſolidarum virtutum actibus, præſtanti divi- næ bonitatis fiducia, excelſo vigore animi, & magno ſe Deo atq; ſiſſimè conjungendi deſiderio, roborante dicam an mu- nerante? At poſt iſta lego, ſub idem tempus pactum ejus- modi iniviſſe cum Deo etiam B. Mariam Magdalenam de- *Vit. p. 1. e.* 37. Pazzi; nempe ut coram illo omni in poſterum ſpiritu- ali guſtui ſeu ſolatio renunciaret; quod ipſe tunc quidem etiã viſus eſt acceptaſſe. Sed cum aliquando neſcio quem ſen- ſum cœleſtis dulcedinis ipſius animæ divina bonitas imper- tuiſſet; conſeſtim cum Deo expoſtulaviſſe, atque hunc in- modum eſſe conqueſtam: Hei mihi! quare Domine Deus pactum violas inter nos initum, cum jam olim pro tui amo- re, omne etiam cœleſte ſolacium, quod in futurum habere poſſem, abdicavi? Et ante utramque S. Terēſia, fortè de ſemetipſa loquens: *Novi, inquit, personas nonnullas, que Caſtell. ani. procedunt in via amoris, prout eas oportet procedere, purè ut mans. 4. c. 2.* JESU Chriſto crucifixo ſerviant; & non tantum non requirunt ab eo guſtus ſpirituales, eòſve deſiderant, ſed potiùs ab eo con- tendunt, ne guſtus ejusmodi ipſis largiatur in hac vita. Quales

nos nimirum etiam nonnullas capite superiori retulimus. *Fundamenta hæc in montibus sanctis.* Sed tamen superest quod his addamus, & quò profundius in divinam istam solitudinem nos penetremus,

## CAPVT XII.

*Proponitur altissima quedam & absolutissima abnegatio sui, & tanquam apex patientiæ Christianæ.*

**P**erfectio Christianæ virtutis, quam isto capite proponimus, uti sublimissima est & summè ardua, ita paucis fortasse cognita, & multis apparebit incredibilis, & supra captum ac vires conditionis humanæ: ideòq; pluribus à nobis hoc loco exponenda est, & multiplici sive exemplo, sive autoritate confirmanda.

### §. I.

*Tres quasi gradus perfectionis Christianæ, ex S. Ignatii Exercitijs.*

*Leñ. 4. de  
S. Ign. Heb-  
dom. 2.*

**S** Ignatius Societatis **J**ESU Fundator, in admirabili (uti eum appellat Ecclesia) Exercitiorum spiritualium libello, proponit tres veluti gradus perfectionis Christianæ, quos ipse appellat tres modos humilitatis; sive quòd per illos homo se Deo plenè subijciat; sive quòd nominatim versetur circa humilitatis materiam, puta paupertatem, ignominiam, &c. Placet autem ad præsentem, sive patientiæ, sive abnegationis sui tractatum, ipsà etiam materiam permitte, translato, & ipsis quidem S. Patris verbis hoc loco subijcere; ut intelligi possit, ad quantam virtutis exaggeratæ sublimitatem, ex tanti Magistri sensu, hominem adducat sincerus **J**ESU Christi amor, & desiderium eundem Crucifixum ac derelictum imitandi.

*Pri-*

Primus, inquit, humilitatis modus hic est, ad salutem necessarius, ut me penitus subdam divina Legi observanda, utque ne mundi quidem totius oblato mihi Dominio, vel extremo vite discrimine objecto, transgrediar ex deliberato mandatum ullum divinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.

Hic modus non tam gradus est aut perfectio, quam fundamentum & velut solum Christianæ vitæ: neque enim Christianè vivere censendus est, qui non ita animo sit comparatus, ut quantivis boni malivæ conditione proposita, nolit Dei Legem ex deliberato violare, ejusve amicitiam contemnere.

Secundus majoris est perfectionis: qui duo complectitur: Primum: Ut fixo animo, ad divitias, paupertatem; honorem, ignominiam; breviter vitam ac longitudinem æquè sit propensus, ubi æqualis est divinæ laudis & salutis meæ occasio. Alterum: utque nullâ, vel humanâ quantacumque felicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita, adducar unquam, ut culpam, licet venialem tantum, decernam admittere.

In isto jam gradu magna Christianæ virtutis perfectio est. Permagnum quippe esse videtur, si, ubi æqualis est divinæ laudis & salutis nostræ occasio, neutram in partem propensiores simus; paupertatem adeò, ignominiam, breviterque vitam contrarijs præoptaturi, si eam in partem divinæ gloriæ momentum aliquod, aut simplex divinæ voluntatis nutus inclinaverit. Verumtamen, ut Apostoli verbis hoc dicam, *ad huc excellentiorem viam* nobis S. Ignatius demonstrat. 1. Cor. 12.

Tertius igitur est modus humilitatis absolutissimæ, ut priores duos jam adeptus, etiamsi nullo superaddito laus DEI pararet, ad majorem tamen imitationem Christi, ligam potius cum eo paupere, spreto, & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti, quam opes, honores, & sapientiæ estimationem. Paucis ille quidem summam Evangelicæ virtutis

tutis absolutionem complexus est, de aliorum nunc Sanctorum sententiâ stabiliendam nobis, aut etiam exaggerandam

## §. 2.

*Supremus hic gradus patientiæ Christianæ ex S. Ioanne Chrysolomo astruitur.*

**E**T meritò sanè præclarus vitæ spiritualis Magister, hunc gradum censet esse perfectionis absolutissimæ. Quò enim altius aspiret Jesu Christi crucifixi amator, quam si, ubi etiam, non modò salutis propriæ, sed divinæ quoq; gloriæ par sit occasio, aspera quæq; & insuavia præ iucundis & suavibus adamet, in illis id unicè spectans, quòd hæc ratione (ut ut reliqua se habeant) saltem dilecto suo, pauperi, despecto atque afflicto, ipse pauper, despectus, afflictus, similior futurus sit? Tum præferim si adjunxerimus, ulque eò assurgere posse, hujusmodi sese ad exemplum Christi conformandi desiderium, ut quæ dixi incommoda & cruciatus, non solùm quibusvis hujus vitæ, quamlibet puris sanctisq; delitijs, sed ipsis etiam Paradisi gaudijs (nisi majoris Dei laudis ratio præponderet) antependantur. Hoc quippe non Christum quomodocunq; amantis est, sed ejus qui in Dominum insanit (ut loquentem video simili in re Chrysolomum) sive, qui insano & tanquam immodico ipsius amore uratur. Veruntamen ut eum Christianæ perfectionis gradum, neque supra fidem, neque extra usum esse, exemplis demonstremus: vide num in eo sanctè in Dominum insanientium numero, censendus non sit ipse S. Chrysolomus; dum homiliâ octavâ in Epistolam ad Ephesios, ad illa verba: *Ego vinculus in Domino.* ita illa Pauli pro Christo vincula extollit ac deperit, ut Christi causâ vinculum esse, aut universè pro eo aliquid pati, ipso suo genere etiam Cælo ipsi præoptandum putet? in quo etiam argumento tractando ita insistit, ita illud exornat exaggeratq; dicendo, ut

gum

cum omnia dixerit, tamen insanum suum in Christum amorem, ardensq; pro illo patiendi desiderium, nullis sibi verbis satis exprimere, neque quantalibet sacrorum illorum vinculorum commendatione animo suo satisfacere, videatur. Apponam hic nonnulla ejus verba, ex quibus de reliquo sermone, deq; ipsius Sancti Doctoris sensu, conjectura fieri possit.

Primum igitur Chrysostomus, cum Pauli vinculorum dignitatem. Consulatus & Regno anteculisset: *Si quis amat Christum (inquit) novit quod dicitur. Si quis in Dominum insanit, & amore ejus uritur, novit vim vinculorum. Maluerit esse vinculus propter Christum, quam habitare celos.* Et paulo post: *Etiamsi res nullam habeat mercedem, hoc solum est magna merces; & sufficiens remuneratio, hac gravia pati, propter eum qui amatur.* Tum de seipso: *Si quis mihi daret totum celum, aut illam catenam, ego illam praeferrem. Si quis me apud superos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo vinculo, eligerem carcerem & vincula.* Et rursus: *Mibi optabilius est & magis eligendum, male pati pro Christo, quam honorari a Christo.* Et iterum: *Ad omnem mihi remunerationem sufficit male passum esse propter Christum. Det mihi ut illud eloquar: Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea; & nullus ego.* Et subinde: *Non propterea beata censo esse vincula, quod transmittant in celum, sed quod ea sint propter Dominum caeli.* Tandem: *Nam propter Christum aliquid esse passum, est quovis solatio jucundius.* Hac & multo plura S. Joannes Chrysostomus: ad cujus exundantem exuberantemq; adversus Christum crucifixum ardorem quid adijci possit, aegre equidem video.

## §. 3.

*Idem sensus in S. Bonaventura, & alijs quibusdam ostenditur.*

Audia-

P. 2. Stim.  
c. 15.

**A**ldiamus tamen S. Bonaventuram, haud scio an magis sobriè, de suo in Christum amore philosophantem. Ita enim in primis quodam loco illum alloquitur: *O bone JESU, nihil à te peto in hac vita, nisi ut perfectè sim tecum crucifixus in cruce.* Ac deinde: *Magis eligo ad præsens tecum crucifigi, quàm tecum delitijs affluere.* Et postea: *Magis in hac vita desidero, Domine JESU, cum latrone tecum in cruce ascendere, quàm cum Petro, Jacobo & Joanne, in monte Transfigurationis tua conscendere.* Verùm alibi magis allurgens ac mente excedens, expressiusq; in rem nostram: *Si*

P. 3. Stim.  
c. 17.

*propter te (inquit) Domine mi, lacerarer, & passiones ac vultures quascunque ad tui honorem reciperem, eas magis approbarem, magis diligerem, & de his magis gauderem, quàm de quacung; delectatione, quàm etiam in patria possem habere; nisi fortè illa delectatio tantum aut plus cederet ad tui honorem: & hoc etiam, non ratione delectationis, sed ratione tui honoris optarem.* Denique alio quodam in loco; cùm de homine attentius Christi in cruce abjectionem contemplante dixisset: *Jam non desiderat placere hominibus, sed potius quantum in se est, omnibus displicere, & ab omnibus abhorrerè; semper tamen ad DEI honorem:* addit, haud dubiè ex animi sententia: *Et etiam si indifferens esset utrumque (hoc est, ut agebat S. Ignatius, etiamsi nullo superaddito laus DEI par fieri) vituperium (inquit) potius appeteret quàm honorem; ut*

P. 1. Stim.  
c. 7.

*ut præmisit in verbis antecedentibus, quia toto corde desiderat Domino suo aliquantulum conformari. En Doctorem verè Seraphicum, nec scientem quidquam, nec sapientem, nec respirantem, nisi JESUM, & hunc Crucifixum.*

Dial. c. 84.

*Anxio desiderio currunt indusi JESUM Christum crucifixum, & gloriantur in suis opprobrijs & pœnis. Unde si possibile foret eis, habere virtutem sine labore, non acceptarent. Potius enim*

figunt

ligunt delectari in cruce cum Christo, & cum pana virtutem, acquirere, quàm alio modo vitam æternam habere: quia sunt incensi, atque submersi in sanguine, ubi inveniunt incensam charitatem meam. Veruntamen non est prætermittenda hoc in genere, servi DEI è Societate nostra P. Dominici Valesij, qui anno 1615. in Bohemia obiit, sancta quoq; in Christum, infania, & patiendi ardor incredibilis, etiam æternum pro Christo pati præoptantis cœlestibus delicijs, nisi aliorum divinæ nutus voluntatis propenderet. Ita enim ille in schedis arcanis, quibus animi sui sensa soleret committere, dilectam sibi crucem seu mortificationem alloquens, scribere ausus est inter cætera: *Addo, quod tibi comparata, ferè quodammodo vilescat ipsa, ne dicam sordeat, cœlestis gloria.* Et verò beatus duco, *hic multa DEI causâ perpeti aspera, quàm ibi sempiternis frui gaudijs.* O si mihi corpus abeneum foret! Na ego, æternum licet, à caelo exilium libens tui amore perferrem, ô beata mortificatio! ô soror optima! ô amica fidelissima! Et infra: *Eò fertur voluntatis pondus, ut cupiat ipsâ etiam beatitudine æternum privari, & illam cum statu commutare perpetua crucis, dum id gratum Divina Majestati foret, &c.* Quæ ille quidem, magis ad piam quandam exercitationem scripsisse, quàm ex animi sui sensu protulisse videri posset; nisi orationem affirmaret hominis vita, in perpetuo crucis complexu, atque ad extremum in peste afflatorum obsequio (quam ille sortem ardentibus votis expetierat) generosè posita. Adeo hominem alienat ab sese, cum semel animum occupaverit, & intimas cordis tanquam medullas pervaserit, germana & fortis Christi crucifixi dilectio.

## §. 4.

*Adduntur nonnulla ad idem argumentum pertinentia.*

Quid si hic addamus extitisse nonnullos, qui inexplebilis cum Christo patiendi desiderio, non quaslibet tantum

T t

vitæ

vita presentis acerbitates, sed ipsa quoque inferorum supplicia expetere ausi sunt, idque nullo suo etiam spirituali molumento, tantum ut ipsa tormentorum quamlibet horrendorum patientiam, Christo similiores efficerentur? Id enim tum de alijs nonnullis, tum nominatim de B. Jacobo Tudertino, tradunt, qui ipsorum res gestas conscripserunt. Quam etiam animi comparationem ab asceta suo exigit, *tantam filij DEI pietatem atque charitatem asceta memoria repetens, exoptet vicem amoris ei reddere, vel etiam paratus sit pro illo, non solum temporales hujus vite afflictiones, sed aeterna inferni tormenta tolerare.*

Hi nimirum immodici in Christum amoris excessus sunt, hæc sancta ebrietas spiritus; hic fervor multo de crucis torcularibus expressi. *Admirantes enim (inquit seu Bernardus seu Richardus de S. Victore) & amplectentes in Christo illum amoris excessum, quo, proposito sibi gaudio sustinuit crucem, humanam confusionem contempnunt, confunduntur non reddere vicem, atque passionis ejus ludibrijs, quasi quibusdam aculeis incitati, feruntur effrenes in amoris abyssum, & profundum charitatis. Illud omnino & solummodo querentes: Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi; & quaedam sensata & sancta insania mentis translata, parum amari se reputant, sic amari.*

Quæ tamen ijs qui aliter affecti sunt, parum fortassis credibilia, aut etiam humana imbecillitati minus contentanea videbuntur; at sciunt quod dicitur, qui amant: quippe qui linguam amoris intelligant, quæ (ut S. Bernardus ait) barbara est, & peregrina non amanti; Unde etiam idem S. Doctor de sponsæ affectibus loquens: *Quid est hoc quod dicit: illo mihi & ego illi? Nescimus quid loquitur, quia non sentimus, quod sentit.* Et idem rursus: *Si quis horum quæ loquuntur cupit adipisci notitiam, amet.*

Quod

Rader. in  
vita.Instit. spirit.  
c. 6.L. de charit.  
c. 2.serm. 79. in  
Cant.

serm. 67. ib.

serm. 79. cit.

Quod si B. Augustinus, de spiritualibus delitijs, earumque præ sensuum voluptatibus, excellentiâ differens, non putavit se satis intelligi, nisi ab amante & desiderante cœlestia: *si enim frigido loquor* (inquit) *nescit quid loquor*: nunc quando quamlibet suppliciorum acerbiter ipsi etiam cœli delitijs anteferebam, ex sententia discipulorum crucis, audimus, multò sanè magis peregrinus sermo est, & à vulgari mortalium lingua abhorrens, & quem non capiat, nisi qui Christum singulariter amaverit.

Id adeò utramvis in partem in Apostolis videre licet. Nam cum Christus postremò ascendens Jerosolymam, planè ac disertè cum eis ageret de imminente sua passione; tamen (ut ait Evangelista) *erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*; & ut nominatim de S. Petro Chrysostomus: *centies audiendo non sentit, quod dicitur*. At postquam ijdem diviño spiritu igneisq; linguis donati sunt; uti quàm antea vehementiùs amare, ita & jam amoris linguam nosse atque usurpare cœperunt; ut nihil jam præter Christum crucifixum intelligerent, in sola cruce gloriarentur, solis cruciatibus atque opprobrijs gauderent.

Quod admonendi hoc loco fuimus; ne res ejusmodi (ut in re simili observat S. Hieronymus) imbecillitate nostrâ, & non Sanctorum viribus æstimantes; quemadmodum modulum captumq; ac sensum nostrum excedunt, ita fidem excedere, aut à vero quoque abhorreere existimemus.

His obiter attexo, si quis fortè id putet aliquid referre ad rem nostram: in sensum aliquem istis affinem, quadam seu ingenij felicitate, sive excellentiâ animi, sive occulto quodam instinctu Providentiæ incidisse Romanum Philosophum; quem mollis nimium Christianus non sine pudore legat ita philosophantem. *Permitte mihi, mi Lucili, viro- rum optime, aliquid audactus dicere. Si ulla bona majora esse alijs possent; hæc ego quæ tristia videntur, mollibus illis & de-*

*licatis prætuliffem.* Nam si is in sua Porticu ambulans, hoc est solo Stoicæ moralisq; Philosophiæ ductu, in rebus tribulibus atque acerbis vidit inesse quiddam, quo eas præ cæteris optandas sibiq; adamandas diceret, si rerum istarum externarum alias alijs præstare existimaret: quo nos animi sensu circa res istas, earumve delectum, esse convenit, qui divinorem profitemur Philosophiam, & illa in Crucifixi schola recepta axiomata, tollendam crucem, odio habendam animam suam, paupertatem opibus beatiorē esse, luctum, gaudio, aspera mollibus, acerbis suavibus anteponendam, non ut paradoxum aut abstrusum quiddam in ea disciplina accipimus, sed apertè difertēq; proposita in omni prænovæ evangelij pagina legimus?

### CAPUT XIII.

*Amatorem Christi juvat interdum, latitudinem & longitudinem, sublimitatem & profundum crucis investigare.*

#### §. I.

*Dimensiones illæ ad Christi crucem variè applicatæ.*

**E** Gregius Christi crucifixi prædicator Paulus, ad Ephesios scribens, hoc illis à Deo precatur inter cætera: *Ut possitis, inquit, comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profundum, &c.* Quibus verbis S. Augustinus & plures alij putant Apostolum respexisse ad dimensiones crucis Christi, in quibus varia lateant mysteria, nostrâ consideratione dignissima; quibus eruendis, potes te hoc pacto, suavi atque utili meditatione exercere. *Primò igitur: considera, quæ & quanta* lati-

latitudo Crucis Christi. Quod si ad cruciatus quos ipse passus est, retuleris: inuenies crucem ejus fuisse latissimam, cum omnia poenarum ac dolorum genera comprehendat, quæ etiam ipse pertulerit, in membris omnibus sui corporis, omnibusq; animæ facultatibus, idq; ab omni hominum genere, atq; adeo ab ipso Deo Patre suo percussus & derelictus.

Si autem ad eas virtutes, quæ crucem illam mysticâ ratione constituunt; secundum Augustinum, latitudo crucis Christi est charitas: quæ utique in eo fuit latissima, ut quæ ad omnes prorsus homines, omniq; tempora ac loca se extenderit. Pro omnibus enim mortuus est Christus; præteritis, præsentibus, futuris; Judæis, Græcis & barbaris; pro quibus etiam, si ita esset necessitas, libens atrociora sustinisset supplicia, neque semel duntaxat, sed sæpius, quæ erat cordis latitudine, pro ipsdem immolatus fuisset.

Secundò: metire longitudinem crucis Christi: quæ quidem per omnem ipsius vitam protensa est; quando & ab ipso conceptus sui puncto, usque ad mortem, semper si non re ipsâ, ac mente tamen & affectu crucifixus fuit; nolens vel ad momentum de illa cruce sua spiritali descendere, aut ab artissimo ejus amplexu separari; ut paulò post magis declarabitur. Quin & illud hîc addere possumus: Christo etiam ad vitam immortalem abeunte, adhuc protendi & adimpleri passiones ejus; eòq; illum membrorum suorum afflictiones, suas quodammodo facere; ut quando id per sese non potest, in suis certâ ratione ad finem usque mundi patiatur: de quo item aliàs fortassis erit specialis dicendi locus. Ergo crucis longitudo, perseverantia est in sufferendis adversis, de qua breviter S. Augustinus: *Si vis habere crucis longitudinem, habeto perseverandi longanimitatem.*

Tertiò: Suspice crucis Christi sublimitatem; quæ indicat excelsos illos fines, ad quos Christi mors & passio, divino

Serm. 7. de Verb. Apost.

Serm. 7. cit.

vino consilio relata & ordinata est; maximam nimirum DEI gloriam, mortaliūmq; salutem. Quos etiam fines spectavit Christus in omni vita sua; professus, se tantum Patris sui gloriam quærere, & ut vitam æternam habeamus, *serm. 7. cit.* *nisi.* Quid enim est (inquit Augustinus) habere altitudinem, nisi cogitare DEUM, amare DEVM, & gratis amare, ipsum DEVM adiutorem, ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum præmij largitorem, postremò ipsum præmium depretare, non aliud ab ipso quàm ipsum expectare. Et, ut idem *Tract. 118. in* alibi uno verbo: *Joan.* Altitudo significat supremum finem, quæ curia opera referuntur.

*Quartò:* scrutare, si potes, profunditatem crucis Christi: hoc est, acerbitatem & gravitatem dolorum, & ignominiarum ejus, sive profundissimam ejus humilitatem & abjectionem. Etenim in passione sua Salvator in altissimam abyssum depressus fuit, abyssum nuditatis, abyssum doloris, abyssum ignominia, abyssum derelictionis. *Serm. cit. & ep. 120.* quam Augustinus hoc ad profunditatem judiciorum DEI retulit, quæ perscrutari nobis aut pervestigare fas non est; seu, quod eodem redit, ad profunditatem gratiæ DEI, quæ & nobis occulta est, & à qua tamen, velut radice, procedunt universa quæ rectè facimus.

*ser. de pass.* Neque ab his multum abscedit illa S. Bernardi sententia, ita Christum precantis: *Illam divinissimam crucem hominis meis impone, cujus latitudo est charitas, cujus longitudo est aternitas; cujus sublimitas est omnipotentia, cujus profundum est inscrutabilis sapientia.*

*serm. 7. cit.* Hic verò exclamat S. Augustinus, nostram circa aliam curiositatem, & circa hæc ipsa incuriam, exagitans: *Quid corde pergis, homo Christiane, per latitudinem terra, longitudinem temporum, altitudinem cæli, profunditatem abyssus? Ipsum audi Apostolum dicentem tibi: Mibi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi. Et nos in illa glo-*

riemur. Ibi fortè inueniemus & latitudinem, & longitudinem, & altitudinem & profundum. His enim Apostoli verbi, crux quodammodo nobis ante oculos constituta est.

## §. 2.

Nostram etiam crucem iisdem dimensionibus constare debere.

EX his autem pronum est definire, quibus itidem dimensionibus crux nostra constare, aut quemadmodum componi & constitui debeat. Nam tametsi, ut monet Saluator, unicuique nostrum crux sua ferenda est; sua, inquam, velut unicuique propria, & in alijs, alijsq; diversa: id tamen duntaxat de ipsa crucis tanquam materia accipiendum; quasi cruces nostræ, sive inter sese, sive cum Christi cruce comparatæ, non eodem omnes, sed diverso ligni genere consistant; dum alter mœrore animi, alter corporis morbis affligitur, hujus honor & existimatio, istius fortunæ atteruntur; quem in sensum scitè pièq; dictitabat S. Franciscus Salesius nolle se sibi crucis suæ ligna deligere, sed quacunque Deus, & quacunque ex materia, crucem imponeret, promptè tollere, constantèq; perferre.

At si formam ipsam dimensionèsq; spectemus, omnis sanè crux nostra, quocunque tandem è ligno constet, ipsi cruci Christi configurari & conformari debet: ut nempe eodem spiritu, quo crucem suam Christus tulit, nostram ferentes, ipsam quodammodo Christi crucem omnes feramus, eidemq; cum illo cruci figamur, fiatq; in nobis, quod de se agebat Apostolus: *Christo confixus sum cruci*: quod e quidem ille non ita diceret, nisi in ipsa Salvatoris cruce se simul cum illo suffixum esse sentiret.

Quibus igitur mensuris, seu virtutum perfectarum officijs, constitit spiritualis crux Christi, iisdem & nostra instruenda & coagmentanda est. Ut nimirum quidquid acerbata-

bitatis in vita nobis obvenerit, id cum profunda humilitate, cum sublimi spe, cum lata charitate, cum longa denique perseverantia sufferamus; adamantes nimirum, nobisque quodammodo despondentes, ex Redemptoris imitatione, crucem perpetuam; qualem nos infra describemus, & variis Sanctorum autoritate astruemus.

Audiamus hic rursus S. Augustinum, ea quæ sparsim de his dimensionibus dixit, in unum recolligentem, & qualiter ex Christi magisterio, eadem in usus quoque nostros adhibendæ sint, innuentem. Ita enim scribit in quadam epistola: *Ep. 120. c. 26.* *Latitudo est in operibus bonis, quibus benevolentia porrigitur, usque ad diligendos inimicos: & longitudo, ut longanimitate pro hac latitudine molestiæ tolerantur: & altitudo, ut pro his æternum, quod in supernis est primum, non vanum aliquid aut temporale speretur: & profundum, unde gratia DEI, secundum secretum & abditum voluntatis ejus existit. Hoc totum agitur, cum in hac nostrâ peregrinatione, fides per dilectionem operatur. Ad extremum autem ita concludit: *Ibid. c. 36.* *Intelligentes igitur peregrinationem nostram in hac vita, mundo crucifigamur, extendentes manus in latitudinem bonorum operum, & longanimitate usque in finem perseverantes, atque habentes cor sursum, ubi Christus est in dextera DEI sedens, totumque hoc non nobis, sed illius misericordiam tribuentes, cujus profunda judicium omnem scrutatorem fatigant. Hac Augustinus.**

## CAPVT XIV.

*In quo ostenditur, etiam homines perfectos, grandes ac multiplices cruces perferre.*

## §. I.

*Non eandem hominum perfectorum, atq; imperfectorum  
cruces esse.*

VERùm quod ad crucis nostræ dimensionem attinet; ex-  
tat inter S. Anselmi opera, de mensuratione crucis li-  
bellus; ubi, quisquis est autor (non enim Anselmus esse Tom. 3.  
potest, cum Bernardum citet, qui ipso Anselmo est ævo po-  
sterior) paulò aliter, neque incommodè, de hac tota re phi-  
losophatur. Nam cum illa exponeret Christi verba: *Si Matth: 16.*  
*quis vult venire post me, abneget semet ipsum, tollat crucem  
suam, & sequatur me;* illudq; præfatus esset, si crucem no-  
stram, ipsum DEO debitum atque impensum servitium dice-  
ret, id se ex eorum duntaxat opinione facturum, qui ne-  
sciunt, jugum Christi JESU suave esse, & onus leve; aut qui  
non sentiant, quàm bonus & suavis sit DEI Spiritus in no-  
bis; tum denique subjicit: Crucem nostram esse cruciatum  
cordis, quem inde maximum capere debeamus, quòd in di-  
vinæ Majestatis obsequio, non perinde atque res deposce-  
ret, fideles atque ferventes simus.

Hujus autem crucis hæ tanquam dimensiones assignan-  
tur. Profunditas ejus in eo sita est; ut scilicet angamur a-  
nimo, quòd non qua par esset humilitate, deprimamus nos  
sub potenti manu DEI, agnoscentes nihilum nostrum, &  
nos usquequaque indignos esse beneficijs ejus.

Sublimitas ejus est, cruciari, quòd DEUM, pro eo ac  
dignus est, amare & laudare non possumus; & cum tot sup-  
petant eum amandi causæ (quas idem autor copiosius enu-  
merat) attamen in eo diligendo, inertes, remissi, languidi,  
ac pœnè frigidi invenimur.

Porrò latitudo ejusdem crucis spiritualis, est quoddam  
animæ dilatatæ cruciamentum, quòd, non uti vellet, eidem  
liceat, mortales omnes divinæ gloriæ ac servituti subijcere,

V u

univer-

universumque mundum tanquam alis aureis ardentissima charitatis circumplecti. Longitudo denique est quidam crucians animi sensus, quod non assidue patiamur in hac vita pro incremento divinae gloriae, sed sensim tardum nos capiat ferendae crucis, quam tamen toti vitae nostrae oportet esse commensam. Haec ferè ex isto autore.

In quibus & illud observare est, quod ut non exiguum in via spiritus momentum habens, paulò exactius declarabimus: non easdem esse Sanctorum hominum ac Christum perfectè diligentium cruces, quae sunt hominum imperfectorum, & (ut loquitur S. Augustinus) in germano Dei amore adhuc rudium. Neque enim isti, ut principio dicebamus, perinde ac ceteri, jugum divinae Legis, aut Evangelicae perfectionis disciplinam, pro cruce habent, quam utique suavem atque jucundam experiantur. Neque ut crucem aspiciunt, quae alij mortales horrent tantopere, incommoda, inquam, acerbitatesque humanae vitae, paupertatem, dolorem, contemptum, amicorum desertionem, cruciatus graves ac tormenta corporis, mortemque per illa miserè acerbèque festinatam. Siquidem & ista pro Amore suo crucifixo, optanda sibi atque expetenda existimant; dicuntque audacter cum S. Ignatio: *Ignis, crux, bestia, confusio ossium, & tota diaboli tormenta in me veniant: tantum ut Christo fruam.* Neque ad extremum pro cruce illis esse solet, quod caelesti consolatione subtracta, quadam spiritus ariditate, & velut cordis duritiâ laborent. Nam tamen fortasse hoc illis praeter ceteris grave est: dum tamen offensum sibi Numen non sentiunt, illam quoque internam derelictionem moderatè tolerant; quin propter majorem pro Christo derelicto similitudinem, uti antè diximus, etiam amare didicerunt. At enim, inquires: quid hinc restat denique, quod ijs qui ita affecti sint, obvenire possit in vita, quod ipsi quidem crucem reputent, eaque tandem appellatione dignentur?

L. 9. Conf.  
c. 4.

## §. 2.

*Speciales quaedam Sanctorum cruces exposita.*

**A**Tqui ijs etiam, qui Deum magnopere ament suæ cruces sunt, grandia inquam animi cruciamenta, & tanquam gehennæ multiplices; eoque etiam graviores, quò magis in amore processerint: quia, ut ille ait, *sine dolore non vivitur* *L. 3. de imit. in amore.* Porro ea videntur ad quinque seu modos seu genera *Christi c. 5.* nera, revocari posse.

*Prima* igitur Sanctorum crux interior, uti paulò antè memorabamus, in eo cordis cruciatu sita est, quem exinde concipiunt; quòd, cum infinitam Dei Conditoris ac Redemptoris sui bonitatem cæteris perfectiùs intelligant (amor quippe acuit amantis oculos, & quò magis suprema bonitas amatur, hoc etiam magis magisque amabilis esse cognoscitur) tamen se ab eo amoris gradu, sive quem ab eis deposcat illa bonitas, sive ad quem ipsi flagranti desiderio aspirent, tam longè adhuc abesse sentiant.

Quo pertinet illud B. Catharinæ Genuensis pronuntiatum: si clarè perspiceret anima, ad quantam virtutis absolutionem, & ad què sancti amoris gradum à Deo vocetur, destineturque; eandem, dum ad eum pertingat, ob desiderij violentam inquietudinem, suos tanquam inferos in hac vita esse experturam.

Quamobrem etiam Guilielmus Abbas S. Theodorici, cum perfectos quosdam Dei amatores contemplaretur, homines alioqui doctrinæ expertes, sed in ipsa schola divinæ charitatis eruditos; suumque frigus (uti censebat) cum eorù ardore componeret; adeò angebatur animo, ut eò diceret, vitam ipsam sibi ingratam & injucundam esse. Ita enim Deum alloquitur in quadam sua meditatione: *Hi sunt qui te amant. Tales cum video, & inter eos me non invenio, tædet me vivere. Quorum sapientia non est de spiritu hujus mundi,*

Vuuz

vel

vel de prudentia hujus seculi; sed quia non cognoverunt literaturam, introierunt in potentiam Domini, & pauperes spiritu memorantur justitia tue solius.

Secunda Sanctorum spiritualis crux est; si quando nihil patiuntur adversi. Siquidem cum Christum Jesum pro ipsis passum ardentissimè diligant; percipiunt itidem ei assimilari, malorum patientià; & grande quidpiam pro ejus honore perferendo, vicem quasi rependere amoris. Quod dum minùs obtinent, discruciantur scilicet animo, & ipsi summi desiderij velut impatientià torquentur.

Rursum: cum adversa mortalis vitæ singulare esse Dei donum intelligant, certumq; pignus benevolentiae divinæ; istam seu pacem dicas seu cessationem, suspectam habent; quasi ipsi Deo minùs placeant, aut certè habeantur indigni, qui fortiori aliquo certamine exercentur probenturve.

Postremò, cum sese Deum offendisse recolant, se ipsos quodammodo æquo animo ferre non possunt, dum expectatis de se supplicijs divina justitia contenta esse ac satiata videatur. Nam *electi quique*, (ut ait Magnus Gregorius) dum perpetrasse se illicita noverunt, sed persecutantes inveniunt, quia nulla pro eis adversa perpessi sunt, in immense formidini terrore tabescunt. Magna igitur DEUM perfectè amantibus crux est, cruce carere; ut hoc quoque sensu usurpare possint, quod scriptum est: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Audiatur unus pro omnibus Doctor Seraphicus, dum crucis amore tabescens, & exæstuantis desiderij vim non sustinens, hunc in modum exclamat: *Certè dilectissime Domine JESU, nolo vivere, nisi moriar tecum; aut ergo da mihi mortem temporalem, aut in corde meo imprime tuam mortem. Hei mihi! quare natus sum, nisi Dominum meum amplectar in cruce, & requiescam in vulneribus ejus. Et infra: Totà die affligo animam meam, petendo ignominiosam mortem tuam, & vix possum aliquam guttulam impetrare.* Et rursum:

L. 7. Mor. c. 8.

Isai. 38.

P. 1. Stim. c. 13.

sum: Non peto pulchritudinem celi, sed ignominiam tuam; non mundi delicias, sed tuas angustias. Cito mihi, Domine JESU, tribue eam. Passionem tuam, videlicet. Hæc & plura S. Bonaventura.

## §. 3.

Perfeutorum hominum alie cruces nonnullæ.

Tertia crux Sanctorum consistit in amara quadam desolatione, aut cæcâ velut contenebratione spiritûs: quibus rebus DEUS etiam sibi dilectissimos diu multumq; exercere consuevit, & usque eò aliquando percellere, ut præ interiorum tenebrarum densitate, vix se ipsos possint circumspicere, aut quo loco consistant, intueri; neque satis expediant aut dispiciant, DEUMne adhuc amicum habeant, an contrâ offensum atque iratum experiantur. Quæ quidem animi tenebris occupati ac circumfusi anxietas, ita DEI servis acerba & intolerabilis esse solet; ut eam non abs re Theologia mysticæ Magistri (& nominatim Henricus Harphius) tãtã *L. 3. Theol. myst. c. 13.* et si horridiore vocabulo, languorem infernalem appellitent. Nam cum hi qui ita affecti sunt, ipsam divinitatis offensam omnibus supplicijs acerbiorẽ existiment; istam divinæ lucis subtractionem, ubi ad eam is, quem dicebamus, perplexus pavor accesserit, sicut umbram mortis inferorumve exhorrescunt, & quandam gehennæ imaginem ac rudimentum arbitrantur.

Magna igitur rursus animæ DEUM amanti crux est, in timus hic pavor, ac divinæ iræ suspectatio: ad quam non immeritò transferri possit & adhiberi ille afflictissimi Jobi gemitus: *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio obibit spiritum meum: & terrores Domini militant contra me.* *Job 5.* Aut illæ alterius Prôphetæ voces: *Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi; & anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* *Psal. 142.* Itẽmq; illæ: *Ego autem dixi in excessu* *Psal. 30.*

*excessu mentis mea: Projectus sum à facie oculorum tuorum.*

Vit. p. 3.

Atque in hac cruce spiritali annis pluribus distenta fuit B. Magdalena de Pazzis; tot undique obsessa ac circumplexa intestinis animi difficultatibus, ut nulla ex parte solatium ullum posset capere, sibiq; interdum à Deo derelicta esse, neque illū in se habere videretur. Eodémq; tormenti genere plures alias exercitas legimus magnas & Deo dilectas animas, quas partim refert Nicolaus Lancicius noster, opusculo de ariditate in oratione cap: 4. Eodémq; pertinet, quod disertis verbis tradit B. Catharina Bononiensis ab eodē autore laudata cap: sequenti: *Non est dolor (inquiens) acerbior illi quem patitur anima, ob sensibilis amoris absentiam; & credit se DEI gratiam amississe, quando non gustat consueta interna dulcedines; & de hac derelictione summum sentit dolorem.*

Append. sc.

attinet, eum pluribus descriptum invenies apud Blosium, ad calcem institutionis spiritalis.

*Quarta* in quadam consistit anxia & inquieta aegritudine animi, ex eo concepta; quod DEUM, quem summo affectu atque opere diligunt, non perinde ab alijs cognosci atque amari conspiciunt; immò verò à plerisq; mortalium tot, tamq; indignis atrocibusq; modis, supremam illant, tum majestatem, tum bonitatem, & amabilitatem offendit.

Pf. 118.

Hinc enim cum rege Propheta, tabescunt ad aspectum peccantium; & ardore animi depascente vitalia, ipso zelo suo exeduntur atque consumuntur.

Pf. 92.

3. Reg. 19.

Ita tabescebat S. Elias, dum abjectus subter juniperū, orabat mortem, & maturo fato sibi occludi oculos, ne horrendas Numinis injurias, illis usurpare, & ultrā sustinere cogeretur. Ita Athenis incitabatur urebaturq; Pauli spiritus, videntis idololatriæ deditam civitatem. Ita denique S. Franciscus Xaverius, quando post obitas divinæ gloriæ causā tot terras, & superata tot maria, ad extremum tanquam

quam ad flores florentissimi Sinarum Regni resistens, ipsiq; prohibitus aditu, non tam februm vi, inter desertos illos scopulos, quam sui spiritus ac zeli ardore extabuit: dolens, gemensq; videlicet, sive, animosâ spe præceptam tot animarum prædam, sibi ab infensissimo divinitatis hoste præripi, sive omnibus expetitam votis martyrij palmam sibi *L.3. Vit. c.17* penè in manibus infringi.

Itaque S. Ambrosius in illa Psalmi us. *Vidi pravariçantes & tabescebam*: *Beatus*, inquit, *qui in charitate* *DEL tabescebat*. Nam si (ut ibi subdit) *alius propter vitiosos amores tabescebat*, qui *dissillat*, dum est dilatus amore dilectæ: *alius immodicè capeßendi honoris impatiens*, si desideria longa suspires, non *mediocri mentis tæbe conficitur*: quidni id aliquando efficiat magna atque insolens Dei charitas, ejusq; honoris zelus inælituans, ubi sese is ardor totis animæ venis diffuderit, vitalemq; cordis succum carpere atque depasci cœperit?

## §. 4.

*Christum perfectè diligentium crux postrema.*

**P**ostrema crux Sanctarum illis adnascitur, ex ingenti quodam, & (ut ita loquar) intemperato desiderio videndi Deum, seseq; vinculis mortalitatis exsolvendi; non tam boni sui felicitatisve cupidine, quam quo labis omnis atque impedimenti expertes, Deo summè dilecto sincerè ac purè placeant, eidemq; amore castissimo, & arctissimo perenni; complexu, imperturbatè adhærescant. Siquidem & hujus desiderij vim, ad crucem quandam interiorem pertinere, testatur S. Gregorius in caput 3. Job ita scribens: *In amaritudine quippe animæ sunt omnes electi, qui vel punire flendo non desinant qua deliquerant, vel gravi se morore afficiunt, quia longè huc à facie conditoris projecti, adhuc in æternæ patriæ gaudijs non sunt.* Et alio in loco, cum præmisset, electos ex intenta rerum cœlestium meditatione, vehementissi-

In ps. 4. pœ-  
nit. tissima tribulationis igne intrinsecus inardescere: *Hæc est illa* (subjungit) *spiritualis sanctorum tribulatio, quam in cordibus eorum generat penitentia & desiderij dilati amaritudo.* Dicitur autem Thomas de Kempis: *Quantò altius quis in spiritu profecerit, tantò graviores sepe cruces invenit; quia exitij sui pœna, magis ex amore crescit.* Nimirum ut est in sacro Proverbio: *Spes quæ differtur, affligit animam: eoque profectò violentiùs, quò & majus est bonum quod speratur, & contentior ardor, quo diligitur.* Quamobrem, etiam videre est, eum animi Deum desiderantis ardorem, ita quandoque modum excedere, ut qui eo corripiantur, quandam hic quoque gehennæ speciem, in ipsa dilati desiderij impatibilitate, inveniant. Sic enim antea à nobis memoratus Guilielmus Abbas, in alia quadam ad Deum suspiratione; ubi videlicet ad Divinitatis felicem conspectum anhelans, & in atria Domini, præ æstuantis desiderij vi, deficiens, in has denique cum dilecto suo blandas exhortationes erumpit. *Vsquequo, Domine, usquequo post te loquor & deficio? Cur ego non sum tecum? Obsecro, dic anima mea. ô salus ejus, quare ei tuum inspiraveris desiderium: non ut tantum torqueat, discipat, & occidat? Et utinam occidisset! Obsecro, Domine, hæcine est mea gehenna? Et hæc sic, nec unquam me desinat torquere, nec unquam desinat in hac ardere, nec in aliquo liceat respirare unâ die, unâ horâ, unâ momento: donec appaream in conspectu tuo, & appareat mihi gloria tua, & faciei tuæ æterna festivitas illuxerit anima mea.* En quemadmodum cervus iste (ut phrasim imiter S. Augustini in psalmum 41.) raptus desiderio ad fontes aquarum, ad interiorem scilicet dulcedinem domus Dei, eosque bibere nondum valens, manducat die ac nocte lachrymas suas; dum dicitur ei: *Vbi est DEVS tuus?*

Psal. 41.

In quorum sanctorum cervorum numero; divinum illum fontem ardentius sitientium, & ipse erat B. Augustinus, cujus

ejus sedentis super flumina Babylonis, atque ad coelestem  
 Jerusalem aspirantis, tot gemitus ac suspiria in ipsius tracta-  
 tibus legimus; atque hæc inter cætera: *ô sancta Sion, ubi* *In ps. 136.*  
*solum stat, & nihil fuit: quis nos in ista instabilia dejecit?*  
*Quare dimisimus conditorem tuum & societatem tuam?* Et al-  
 lio in loco: *ô bona Domini dulcia, immortalia, incompara-* *In ps. 26.*  
*bilia, sempiterna, incommutabilia! Et quando vos videbo, bo-*  
*na Domini!* Et rursus in persona Psalmistæ: *Per singulas*  
*noctes stambo, in desiderio lucis ardebo. Videt Dominus desiderium*  
*meum.* Et alibi passim. Neque enim istis, tametsi prædul- *Tract. 34. in*  
 cibus, operosius insistere nos finit præsentis instituti ratio. *Joann:*

Videantur ex altero sexu S. Mariæ Oegniacensis, ex-  
 tremo vitæ suæ anno ad instantem jam DEI conspectum cu-  
 pidissimè anhelantis, ardores, clamores, & impatibilia  
 desideria, vi quorum subinde sic cruciatur, ut toto cor-  
 pore dirumpi videretur; teste Cardinali à Vitriaco in ejus *l. 2. c. 20.*  
 vitæ.

§. 5.

Extrema dictorum clausula.

Istæ igitur sunt, & si quæ aliæ, velut intestinæ Sanctorum  
 cruce: præ quibus, inflicta extrinsecus cruciamenta,  
 sagittas parvulorum & imbellia tela reputant; ut quæ sum-  
 mam tantum cutem dstringant atque delibent, non etiam  
 ad ipsa viscera, aut cordis intima pertineant.

Cæterum ad ea quæ diximus exigat quisque atque ca-  
 stiget & exacuat amorem suum: comperto, robustum amo-  
 rem grandibus gaudere atque ali crucibus, & magnas men-  
 tes fortibus certaminibus exerceri: neque continuo atque  
 ad aliquam amoris divini perfectionem quis profecerit, eò  
 omnia jam proclivia ac suavia esse; sed ut aliæ desint acer-  
 bitates, ipsum æstuantem atque incitatum mentis ardorem,  
 animæ Deum valdè amanti, pro magno quandoque tormen-

XXX

30

to esse. Quanquam eidem & istud tormentum oppidò dulce est: fitq; nescio quo modo, ut tot inter cruces interiores, in profundiore ac reconditiore quodam recessu, sua illi constet tranquillitas; & in summa (ut sic appellem) mentis arce, abundantia pacis perfruatur.

Hinc etiam, sive S. Bernardus, sive Guilielmus Abbas in tractatu de Amore, Dei amore ac desiderio astuans, atq; ingemiscens, quòd eum nondum in se ipso, sed in suis duratioribus operibus (licet amabilibus) intueatur; ita ait ad Deum suum: *Quae* (scilicet opera tua) *quandò te manifestius & verius predicant & approbant amabilem; tantò ardentius te mihi faciunt desiderabilem. Sed heu! non ad perfectam fruendi suavitatem & gaudium, sed ad intentionis & affectus (non enim sine aliqua suavitate) tormentum.*

Videri etiam potest de hoc argumento S. Teresa in Castello animæ, mansionè quintà, capite undecimo.

## CAPUT XV.

*Dei servos, qui crucis complexum & mortificationis studium refugiant, ea propter crucem multiplicem, pluresq; mortes incurrere.*

**D**EI servos eos hic intelligo, qui severiori obstricti disciplinà, sese gravioribus seu letalibus noxis abstinunt: ceterùm remissè languidèq; viventes, & umbrà quaedam difficultatis absteriti, à crucis mortificationisve complexu, & semetipsos pervincendi studio (quoad ejus possunt) refugiunt. Quos equidem longè errare pronuncio, si hac ratione crucem sese omnem defugituros, & non magis in graviores aliquam incursum esse existiment: quin  
ipsum

ipsum adeò crucis vitandæ tam sollicitum studium, contendendo crucem operosam & permolestam esse, verùm hæc tota res isto ferè modo demonstrabitur.

## §. I.

*Ejus pronuntiati rationes aliqua allate.*

PRIMUM enim etiam hic vim habet, quod Deum alloquens universè affirmat S. Augustinus: *Jussisti Domine, L. 1. Conf. & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus. Omnis c. 12.* quippe animi inordinatio, perturbatio est pacis internæ; Et velut in corpore, membri cujusvis emotio luxatione absque aliquo cruciatu esse nequit: ita in animo, cujusvis affectus depravatio, ipsius animæ harmonicam rationem, ejusque partium naturalem tanquam positionem dissolvit; quod in mente non omnino perversa, nequit absque intima molestia, & gravi animi sibi met ipsi displicentis ægitudine consistere. Accedit ad hæc affectionum compugnantium intestinalis: tum quidam animæ secum pugnantis, & nunc in partem unam, nunc in alteram sese jactantis, atque versantis perplexus languor: demum ille conscientie mentis remorsus, quem identidem exagitat susceptæ professionis obligatio, & vel ipse ingerit nudus aspectus Crucifixi, cui se non potest absque pudore adeò dissimilem agnoscere, quisquis ipsius disciplinam imitationemve profiteatur.

Neque modicum terrorem infert, occursans animo severa Pauli denunciatio: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt: ne videlicet forrè Christi non sit, qui (quoad potest) crucem fugiens, ubique mollia & carni commoda sectetur.* Id sanè hoc loco fixum esto: Nolens Deo perfectè subijci hominis anima, secum ipsa pacem habere non potest. sit quippe nescio quo modo, at tamen sit occultis rationibus, ut tali homini eveniat denique, id quod scriptum est in Libro Job: *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum*

X x x 2

mibi-

Gal. 7.

Job. 7.

mihimet ipsi gravis. Credebas tibi videlicet mollius tranquillusq; futurum, si, quâ posses, crucem defugeres, & virtutis exactæ studium, quò te ipse vocabat DEUS, & tua propellebat professio, declinares: At è contrâ DEUS, istam pacem tuam convertit in amarorem amarissimum, & quidquid agis molirisve ingratâ aliquâ offensione aspergens, ipsam tibi vitam insuavem & gravem efficit; quò intelligi denique, dura extra DEUM esse omnia, neque animi pacem in illa cum domesticis intimisq; hostibus conniventia consistere, sed nisi his planè debellatis ac perdomitis, nullam haberi posse.

L. 10. Conf.  
S. 28.

Præclarissimè rursum ad DEUM suum S. Augustinus: *Cum inhaesero tibi ex omni me, nuquam erit mihi dolor & labor, & viva erit vita mea, tota plena te. Sed quoniam quæ tu implet, sublevas eum; quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum.* Quibus quidem, si illum assequor, intociorem suam vitam, hoc est, affectus omnes, amores, intentiones, desideria, velut membra quædam animi sui considerat, et quibus omnibus sese DEO inhaerere oporteat, ut omne vitæ suæ corpus vivum, vegetum, ac valens sit, ipsiq; proinde, nulla ex parte onerosum. Sic igitur ait: *Cum inhaesero tibi ex omni me;* hoc est, cum in me nullus erit affectus, si nulla tanquam pars vitæ meæ, quâ tibi (ut par est) amoret, casto non inhaeream; tunc viva erit, & florens undique, de doloris omnis atque laboris expers vita mea; quippe tota, plena te, qui es vita, vigor, pax, salus, gaudium animæ meæ. At quamdiu (quæ est vitæ mortalis infirmitas) adhuc aliquis in me superest affectus, quo tibi vitæ meæ non adhaeream, sive, quo me ipsum aut aliquid extra te impure quæram; jam ex ea parte onerosa mihi fit vita mea: quo pacto non potest onerosum & grave non esse, si quod in corpore membrum emortuum esse contigerit. Quæ si de se vitæ sanctus ita scripserit: quanto potiori jure dicemus in præsentia,

oneri sibi & cruci esse, quicumque per languidam inertiam, cupiditates suas frangere, & sibi met ipsa vim aliquam inferre neglexerit.

## §. 2.

*Ejusdem asserti ratio specialior & occultior exponitur.*

J Am verò Joannes Thaulerus, quem ut virum à Deo illuminatum sæpè commendat Ludovicus Blofius, aliam quandam & minùs cognitam profert ejusdem pronuntiati rationem. Assertit enim, homini crucis ac mortificationis fugitanti, eòq; pravo affectus suos molliter ac blandè accipienti, sub vitæ exitum tot quasi mortes experiendas & exequendas esse, quot animi sui perturbationes ac cupiditates in vita minùs domuerit. Sive id dicamus, ex ipsa quasi natura rei, eorùmq; omnium, quæ in supremum illum fatalemque articulum concurrunt, circumstantiâ evenire: sive specialis est divini Numinis providentia, eo cruciату amantèr calligantis atque purgantis suorum electorum negligentiâ; quo modo (ut S. ait Gregorius) *plerumq; de culpis minimis ipse solus pavor egredientes justorum animas purgat*: aut quasi ita postulet æquitatis ac justitiæ ratio, ut quam illi peccnam molestiâve, in se pervincendis in vita adhibere subterfugerint; eandem, sub mortem, verùm in unum jam quodammodo eollectam, & conferto agmine infestius multò ingruentem, perferre scilicet atq; exantlare cogantur.

*L. 4. Dialog. c. 46.*

Sed ipsa audiamus verba Thauleri, de ijs propriè loquentis, qui ad perfectionem à Deo vocati sunt; *quam tamen* (inquit) *quia in vita sua obtinere neglexerunt, idèò necesse habent illam vel in extremis impetrare, cum anima de corpore jam jam distrahenda est. Quod certè tunc fit tam varijs & horrendis mortibus (ut ita dicam) quot quantûsq; per omnem vitam pro sua abnegatione sufferre debuissent; adeò ut penas infernales hoc ipso tempore sibi ferre videantur.*

*Exhort. ad mort. n. 2.*

Neque

Neque ab istius Doctoris sensu re ipsa abhorere video, virum olim in Ordine nostro sanctitatis opinione celebrem, Franciscum Villanovam, quem quidem non ultra Dialecticæ limen in humanis disciplinis progressum, tamen ob profundam earum rerum, quæ ad spiritum pertinent peritiam, nonnulli Doctorum Complutensium, Doctorem Villanovam jucundè solebant appellare. Quippe & hunc quoque, inter alia præclara effata dicere solitum accepimus: *Quam*

*P. 2. hist. Soc. l. 1. n. 132.* *quisque minus in vita domaret perturbationem, ab ea ingruente morte molestias pati graviores.* Proinde nimirum atque

si eo in articulo, cum prostrato jam corpore, & vigore spiritus hebetato, animus varijs distractus curis, & mortiferis confectus angoribus, minus valet ad sese respicere; inordinati hominis affectus, veluti fera solutæ vinculis, opportunitatemq; noctæ, atrocius insurgant in animam, eamque sibi subijcere penitus atque opprimere contendunt.

Hic verò quis satis æstimet: quanta esse debeat interioris hominis perturbatio: quantus animi, imbecillitatis infirmitatisq; suæ consilij, & quàm anxius ac mordens cruciatus: quando, juxta quandam Beati Ambrosij commentationem, veniunt omnia vitia, & singula dicunt: *Meus es*; miseramq; animam sibi quæque certatim vindicantia ac vellicantia, eandem velut in partes dissepunt, & cruciabili diraq; morte conficiunt?

*Serm. 12. in Psal. 118.*

Quò proinde etiam referri potest, quod idem gloriosus Doctor, illud Sancti Job, quod in vulgata ita legimus: *Cogitationes meæ dissipatae sunt, torquentes cor meum* (quod quidem præsertim evenire constat in hora mortis, in corde hominis indomitis laborantis affectionibus) ipse ita legitur ex versione septuaginta: *Dirupti sunt articuli cordis mei.* Quasi cor humanum tot tanquam articulis constet, in quos affectus dividitur: quibus, extremo illo tempore, sive inter sese, sive adversus hominem pugnantibus, necesse sit con-

ejus

ejus dirumpi, & membratim quodammodo convelli, non sine diro cruciatu, & multiplicis experientia doloris. In quem etiam sensum, sic eum locum legit S. Augustinus: *Convulsa sunt compages cordis mei.*

Audiat hic denique S. Bernardus: cujus præclara sententia, tamen propriè de homine peccatore in extremis constituto prolata, ipsa tamen materiæ affinitate apprimè convenit in rem nostram. *Quomodo (inquit) sub unius hora serm. 38. ex articulo, revocari posse estimant omnia anima membra, cujus partia. concupiscentia & desideria per totum mundum sparsa sunt, & ubique trrarum velut quodam visco tenentur? Vides hinc consentaneè antedictis, nostras cupiditates affectionesve distortas, esse quasi quædam animæ membra, aut cordis articulos; easdemq; miseram animam velut in diversa distrahere; & dum hæc, sub suum è corpore discessum, nititur se ipsam quodammodo ad se colligere, difficillimè revocare se, neque ab ijs rebus, quibus velut quodam tenaci visco illigata sit, nisi cum acerbo doloris sensu divelli posse.*

Confirmabit hæc, Annæi Senecæ, relatu digna, atque huic loco, quantum arbitror, non inopportuna sententia: qui universè de istis agens, qui suas domare cupiditates negligant: *Quot cupiditatibus, inquit, tot crucibus distrahuntur. De vit. beat. Ubi & crucis nomen observes; & distrahendi verbum, quod c. 19. eam velut artuum cordis, membrorumq; animi divulsionem, & quasi discerptionem significat, de qua mox dicam expressius.*

§. 3.

*Ratio postremò proposita magis explicatur, & confirmatur.*

**S**ed placet rem omnem Guigonis Carthusiani, ejus Ordinis quinti Generalis (cujus ex litteris ad se transmissis ignitas quasdam divini amoris scintillas percepisse sese testaba-

Ep. 11. stabatur S. Bernardus) sententiâ quadam, ex ejus meditationibus desumptâ, confirmare. *Ecce huic corpori immixtus (inquit) satis miser eras: omnibus enim ejus corruptionibus, usque ad morsum culicis vel forunculi, subiacebas. Non suffecit tibi. Immiscuisti enim te alijs quasi corporibus, opinioni boninum, admirationi, amori, honori, timori, & similibus: & sicut ex corporis, ita ex horum lesione, dolore afficeris. Ipsius ligna quibus combureris, tibi adhibuisti. Læditur nempe honor tuus, cum contemneris; sic de cæteris. Ita etiam de formis corporum cogita. Sic ille: perappositè in rem nostram. Siquidem res omnes quæ minùs rectè à nobis diliguntur, considerat vir pius tanquam totidem corpora, quibus sese quasi obvolvitur anima, dum illis amore inordinato adhaerescit. Ac quemadmodum hominis anima, eò quòd corpori illigata atque conferta est, omnibus subjacet illius arumnis atque incommodis, quæ nempe necesse est ab illo ad animam, ob intimam ejus cum suo corpore copulationem, consensionem quadam pertinere: ita cum res istas, alioqui extra se politas, opes, gloriam, opinionem hominum, & alia ejusmodi, ipsa per amorem inconsultò sibi adjunxerit, & quodammodo concorporaverit; naturali quâdam consequentiâ fieri, ut si horum quidpiam detrimentum aliquod accipiat, si lædatur honor, offendatur existimatio, ipsam quoque animam inde affici lædive oporteat; eòque pluribus offensionibus subjacere, quò pluribus ejusmodi ceu corporibus improvidâ sese consortione copulaverit. Ex quo in rem presentem istud denique conficitur: quòd velut animæ à corpore suo separatio, mors est; quæ utique non potest absque magno dolore contingere: ita cum ab ijs divellendus est animus, quibus velut pluribus superinductis corporibus sese voluntate conjunxerit; exinde oporteat totidem quasi mortem effici. Ut vel sic verum sit, istud Thauleri pronuntiatum: Eum, qui studium sese vincendi neglexerit in vita*

sub animæ exitum tot perferre mortes, quot in se affectus minus domitor habuerit.

Cæterum ex Guigone desumptam, atque à nobis hic propositam, philosophandi rationem, aduerto denique etiam Augustini dictis consentaneam esse. Quippe qui in Libris de Libero arbitrio, de rebus istis quæ aliquando amittendæ sunt differens, earum possessorem admonet: *ne eis amore conglutinetur, neque velut membra animi sui faciat, quod sit amando; ne cum refecari ceperint, eum cruciatu ac rabe fadent.* Et rursus in quadam ad S. Paulinum epistola ait; Bona ista temporalia, quæ nobis amore usq; incorporata fuerint, cum dimittenda sunt, velut membra præcidi.

L. 1. c. 15.

Ep. 34.

Quæ omnia si à vero sanè non aliena existimentur; exinde colliget prudens asceta, quàm inconsultum sit, ne dicam fatuum, alicujus virtutis ac perfectionis studium negligere: quod in re ipsa non est aliud, quàm ut leviolem tolerabilemq; laborem declines, in eas quas dixi cruces & mortes te induere; & pro cruce Christi, quæ & amanti suavis est, & ipsâ Dominæ societate, ac præclaræ virtutis conscientia, & haustis de cælo solatijs multùm lenitur, & magnam habet apud Deum mercedem repositam; aliam quandam, & per se acerbiolem, & divini solatij vacuum, & si non omnino inf. uctuosam, attamen immenso minus profuturam, adoptare.

In quem itidem sentium Henricus Saiso, æternam Sapientiam in Dialogo, de ejusmodi hominibus ita introducit loquentem: *Putant & conantur cruces effugere, sed in alias præcipites ruunt. Dum enim me, qui sum bonum sempiternum, & suave jugum meum ferre nolunt; permisso justitia mea; multis i. s. q. gravibus premuntur oneribus, & cum pruina timent, caedunt in nivem.* Aut, ut aliâ phrasi dicebat superius à nobis laudatus Cæsar de Bus: *dum crucem*

Dial. c. 6.

Job 6.

L. 6. vit. c. 22.

*aniam effugere credimus, incidimus in quatuor.*

Xyy

CAPUT

## CAPVT XVI.

*Quemadmodum nos par sit, in commentandis ac devenerandis occultis Christi cruciatibus, interdum exerceri.*

## §. I.

*Quinam illi fuerint occulti Domini nostri cruciatibus.*

Suggerit hanc etiam nobis industriam Thaulerus ( & ex-  
Seo Ludovicus Blofius) in sua pijsissima Dominica passio-  
nis explicatione, de ijs præcipuè cruciatibus agens, quibus  
dubium non est, totam eam noctem vexatum fuisse Redem-  
ptorem, quâ à Principibus Sacerdotum reus mortis pro-  
nunciatus, mansit in ministrorum manibus, eorum sevitia  
ac libidini permisus: tametsi eos, Scriptores sacri particu-  
latim omnes non expresserint.

Joannis Thauleri verba sunt ista in cap. 5, apud Blofio:  
*Divi Hieronymi quidem sententia est (inquit) molestias illas &  
penas, quas Domino illâ nocte intulere, ante extremi judicij  
diem non fore manifestas. Unde devoti quis, qui in Dominica  
se cupiunt passione exercere, aliquid ad honorem occultorum vi-  
lorum Domini cruciatuum facere deberent, eosdemq; Patri-  
lesti (cui utique bene noti sunt) pro suis occultis & ignotis offerre  
peccatis. Sic ille.*

*Conc. 92.*

Locum S. Hieronymi non adscribit Thaulerus, neque  
adhuc in eum incidi. Nam quod Fridericus Fornerus in suo  
tractatu de Passione, etiam hæc plusculum exaggerata eidem  
attribuit. scribenti in caput Matthæi 26. *Hieronymus (inqui-  
ens) testatur tum turpia, tam obscæna, tam nefanda passum,*  
*(dicente Marco: fecerunt in eum quacumq; voluerunt) ut ea ad  
turpitudinem noluerint Evangelista exprimere, verbisq; apertis  
revelare, nec usq; ad judicij extremi diem manifestanda; nihil  
inquam*

*Marc. 9.*

*Matth. 17.*

inquam eo in commentario inuenio. Cæterum dubitare fas non est (de quo in raptu quodã admonita est etiam S. Fran-<sup>L. 3. vit. c. 6.</sup> cisca Romana) quin diversissimis indignissimisque modis à petulante turba, totam eam noctem dulcissimus Salvator exercitus sit: sive quòd ea fex hominum, suopte ingenio petulans & procax, de hominis innocentissimi ludibrijs sui oblectandi materiam quærerent, vigilatæ noctis tædia hac quoque arte fallere volentes; sive quòd eã re ad Dominorum ingenia propensionemq; se fingerent, & eo quem illi odissent, quibusvis seu dictis seu factis improbis divexando obruendõq; eorum oculis servire ac placere vellent. Planè ut à recenter sudato sanguine, alijsq; molestijs exhausto Redemptori, quietis pars nulla, & ne respirandi quidem spatium ullum concederetur.

Sanè ad verborum contumelias quod attinet; ijs variè atrociterq; oneratum fuisse Christum, apertè significat S. Lucas; qui cùm retulisset improbos illos satellites ei velut pseudopropheta velatione faciei & scommatis petulantes, illulisse, subjungit: *Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum.* <sup>Luca 22.</sup> Ut jam tum videatur impletum esse, quod Threnorum cap: 3. dicitur: *Dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobrijs:* qua quidem voce, dum opprobrijs saturandus dicitur, tanta eorum indicatur futura copia, ut tamen ea Christus avidè desideraturus sit, ijs tamen repleti atque exsaturari possit. Quod autem ad factorum injuriam; addit Isaias, quod ab Evangelistis omissum est, non tantùm colaphis contusas genas, sed & pilorum barbæ (quod atrocis contumeliæ genus est) vellicatione atque evulsione vexatas. *Corpus meum* (inquit in persona Christi) *dedi percutientibus; & genas meas vellentibus, seu,* ut quidam vertunt, *depilantibus.* <sup>Isai. 50.</sup> Estq; omnino verisimile, pari petulantia etiam Nazaræi nostri sacram cæsariem violenter distractam, convulsam, laceratam fuisse: itémq; (uti censent varij) pugno-

Y y z

rum

rum in eussu collum, humeros, pectus, & omne corpus ex-  
le habitum, quin & humi afflictum, proculcatumq; scelestis-  
rum illorum vestigijs, ipsūmq; adeo divinum vultum etiam  
impactis unguibus crudeliter notatum atque confisum.  
Sunt enim ista aliāq; hujusmodi, istorum hominum genio,  
impunitatiq; ac licentiā, ipsiq; tempori ac loco planē con-  
sentanea: cenferiq; possunt, ijs quæ sacri Evangelistæ ex-  
primunt subindicata & comprehensa; secundum illud S.

Can. 32. in  
Matth.

Hilarij: *In palmis atque sputis ad consummandam hominis hu-  
militatem, universa in eum contumeliarum genera exerceban-  
tur.* Planē enim jam tum extrema fuit Hominis Dei humi-  
litas, & depressio tanta, ut mente confusus, de se merito

Psal. 21.

scriptum recognosceret: *Ego sum vermis, & non homo, op-  
probrium hominum & abjectio plebis:* seu ut vertere maluit.

L. 3. con.

Tertulliaus, *nullificamen populi;* cujus vim vocis postea

Marc. c. 7.

in loco ponderabimus.

Hæc igitur, & si quæ alia, acta fuere illius infandæ atq;  
nefastæ noctis, quæ bono Jesu suprema exitit: hi actus fo-  
nestæ comœdiæ, quæ per atrocem indignitatem factori suo  
insultavere protervi vermiculi, & oblectando nocturno pæ-  
tio, ludos fecere Deum supremæ Majestatis.

### §. 2.

*Qui conveniat nos in ijs interdum exerceri.*

QVocirca, sive ad sanctum amorem excitandum, sive ad  
commiserationem, aliōsve piæ gratæq; mentis in affli-  
ctissimum Redemptorem conciendos affectus, opportuna-  
erit interdum hujus exercitij ratio, tribus hisce capitibus  
constans. *Primum:* Ut quando eorum oculatorum do-  
lorum Domini Jesu, quorum speciatim nullus Evangelista  
meminit, nulla est apud plerosque, aut exigua recogitatio,  
eos saltem ipsi interdum revolvamus animo: quo & aliorū  
corriganus ac suppleamus incuriā, & nullam sit cruciatū  
Domi-

Dominicorum genus, cui non sua apud nos constet gratia, & bene collocati beneficij ratio.

Imitemur proinde S. Bernardum; qui cum inter eas anxietates & amaritudines Domini sui, ex quibus ab ineunte adolescentia charum quendam myrtæ fasciculum conficere sibi studuerit, ea nominatim quæ à ministris petulantibus supremâ illâ nocte passus est, commemorâset, convitia, sputa, colaphos, subsannationes, exprobrationes, & horum similia; postea subjungit, ut etiam principio retulimus; *Memoriâ abundantia suavitatis horum eruellabo, quam diu vixero. In æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum.* Et rursus: *Hæc meditari dixi sapientiam; & quæ sequuntur.*

*Alterum:* Ut eosdem æterno Patri cum reliquis Unigeniti tormentis, velut in satisfactionem offeramus pro peccatis nostris, præsertim occultis atque ignotis (ut Thaulerus admonet) quæ nos videlicet etiam dum committuntur fugiunt, aut jam commissa elabuntur è memoria. Inter quæ & occultos illos Domini JESU cruciatus ea est sanè comparatio; ut quemadmodum de his pronunciavit S. Hieronymus, eorum multitudinem gravitatèmq; ante extremi iudicii diem non fore manifestam: ita de illis liceat dicere; ante mortis nostræ iudicij; particularis diem, futurum nobis incompertum; quàm multa ex oblivione & inconsiderantia, ex ignorantia aut errore non omnino probabili, ex occulto amore proprio, aut latente (ut vocant) nostri exquisicione peccemus: in quibus aut nullam fortassis noxam agnoscimus, aut quæ etiam inter merita nostra computamus. Verissimum quippe est, quod ille ait: *Multi occultè se ipsos quarunt in rebus quas agunt, & nesciunt.*

*Postremum:* ut ijs occultis Domini JESU vexationibus jungamus molestias nostras; præsertim si quæ contumeliâ, contemptu, probro, subsannatione vexamur. Quo nimirum

mirum fiat, ut & occultas illas Domini pœnas honoremus, ac quasi compensemus, nostrâ similibus molestiarum patientia; & illarum accessione & tanquam tactu, passiones nostræ sanctitatem quandam & vim majorem accipiant, eoque evadant æterno Patri acceptiores.

Similiter autem, ut ad earundem Christi pœnarum venerationem, interdum suscipiamus aliquid operis ad pietatem aut pœnitentiam pertinentis; earum pro nobis à Salvatore tam amanter toleratarum gratiâ, nostram adversus eum propensam mentem, devinctumque animum, vel eos saltem officio religiosè professuri.

## CAPVT XVII.

*De Christi JESU cruce perpetuâ, memoriam mente assiduè circumferenda.*

**V**idetur & hæc consideratio ad occultos Domini cruciatus ex parte pertinere. Nam quanquam satis compertum est, illum ab ortus sui primordijs, atque in reliqua deinceps vita, permultis exercitum incommodis, ærumnisque gravibus conflictatum fuisse, sive ob inopem duramque parentum vivendi conditionem, quorum usus laborumque particeps diu vixerit, sive ob acerbas acresve multorum insectationes, sive ob molestias vexationesque sponte susceptas, in prædicatione Evangelij, & mortalium procuranda salutis attamen, tum horum incomperata nobis est pars maxima, cum eorum pauca Scriptores sacri prodiderint, qui etiam vitam ejus omnem ab ætatis anno duodecimo, ad usque circiter trigessimum, quo parentum domo relicta ad labores sese accinxit disseminandi Evangelij, silentio suppressam præteriè: tum verò præsertim latet nos internæ molestiarum angores, & cruciatus animi, quorum amatore conficieba-

etur cor boni JESU, etiam cum nihil acerbi obveniret extrinsecus; ex quibus internis cruciamentis crux illa, de qua modo loquimur, compacta & constituta est. Ut mihi sanè vel ipsum crucis perpetuæ nomen, nonnullis novum atque insolens in re præsentis, futurum esse videatur.

Adstruamus igitur illum in primis, ex Sanctorum sapientumque sensu: tum autem ad ejus rationem ac pondus nonnihil reflexa cogitatione; exinde nonnulla vitæ spirituali apprimè conducibilia, consuetà methodo conficiemus.

§. I.

*Cruce Christi perpetua quorundam Patrum Scriptorumve Asceticorum autoritate adstruitur.*

**I**n primis siquidem S. Augustinus sermone 32. de sanctis & ex eo S. Maximus in quodam sermone de Martyribus, de cruce perpetua Sanctorum agens, ea profert, quæ jure potiori in ipsum Christum convenient. Unde & crux Domini (inquit) non illa tantum dicitur, qua passionis tempore ligni affixione construitur; sed & illa quæ t. t. ius vita curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur, de qua mihi videtur Salvator dicere: Qui vult venire post me, tollat crucem suam; ut intelligas crucem, non ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisq. propositum. Tota igitur vita hominis Christiani, si secundum Evangelium vivat, crux est atq. martyrium.

S. Bernardus (ut quidam referunt) sermone quodam ita loquitur: *Volve & revolve totam vitam boni JESU, & non inveni- Alex. Ca. lam. in sent.* es eum nisi in cruce. Ex quo enim carnem assumpsit, semper in pena fuit, in amaritudine & angustia. Idem expressè docet Doctor mellifluus in Tractatu de Passione, ex quo nonnulla retulimus antea, cum de tribus Christi comitibus ageremus. Quod etiam pluribus infra confirmans, cum Christum dixisset tradidisse in mortem animam suam:  
mor-

cap. 35. *mortem autem crucis (subjungit) non breviter transeuntis, sed à principio ortus sui in finem mortis durissima, perdurantis: fixus enim superius vestra commendavimus charitati, crux optimi JESU Christi, non tantum fuit unius diei, sed tota vita illius crux fuit & martyrium.*

Referuntur etiam ex S. Brixiano ad illud Canticorum cap. 8 *sub arbore malo suscitavi te; verba quædam huc belle cadentia, nam is sententiam hanc de Christo & cruce interpretans: Pulchrè (inquit) convenit in Christum, quia ita promptè ad crucem accessit, itaque totà vità eam est amplexatus, ut sub ea natus esse videtur.* S. Bonaventura opu-

sculo de perfectione vitæ: *A prima die natiuitatis suæ, usque ad ultimum diem mortis suæ, fuit semper in passionibus & doloribus; sicut ipse testatur per Prophetam dicens: Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. Et alibi dicit: sui flagellatus totà vitæ, id est, toto tempore vitæ meæ. In quem etiam sensum Christus ipse loquens inducitur in libello de*

L. 3. c. 18. *Imitatione: Ab hora ortus mei usque ad exitum in cruce, non defuit mihi tolerantia passionis. Et alio loco idem autor:*

L. 2. c. 12. *Nec enim (inquit) JESUS Christus Dominus noster, unà horâ sine dolore passionis fuit, quamdiu vixit. Ubertinus de Casali in Arbore vitæ crucifixæ JESU, idem pluribus persequitur, nominatim autem in 1. Prologo, de quadam agens illustratione cœlesti, quâ didicit ubique intueri dilectum: hoc est, JESUM crucifixum: Et tunc (ait) tota Christi vitæ colligebatur in ejus passione & cruce; & in omni actu vitæ suæ mihi occurrebat JESUS semper cruce transfixus.*

Eodem spectat quod dixit S. Bernardinus à nobis citatus parte 1. hujus opusculi: *Beatam Virginem crucifixam & Crucifixum concepisse. Et illa Nicolai Eschij in exercitio cruciformi, quod parte 3. aliâ occasione posuimus; ubi hortatur nos, ut corpus & animam semper & ubique crucifigamus, juxta exemplar Christi JESU, qui semper (inquit)*

crucifixus vixit, & crucifixus ex hoc saculo migrare voluit. Porro ut eam nubem testium, quarundam etiam Christi Sponsarum testimonijs addenssemus; S. Tereſiam jam audi- *Itin. perf. c.* vimus edicentem: Christum, quoad vixit, crucem tulisse, *17.* eamq; gustus ac suavitatis expertem. Sanctæ etiam Mech- *L. 2. c. 6.* tildi ipse Christus indicare dignatus est: se ab infantia usq; ad suum è vita excessum, perpetuò habuisse præ oculis ama- ram passionem suam, & singula eorum quæ sibi toleranda essent, nusquam intermissâ cogitatione versasse: quod item rursus in 1. parte admonuimus.

Præclarè itidem S. Catharina Senensis; quæ in preca- tione quadam Romæ conceptâ in festo Annunciationis, ita Virginem Deiparam alloquitur: *Ego video Verbum istud divi- num statim atq; in te fuit inscriptum, absq; cruce sancti desiderij non fuisse: verum mox ut in te conceptum fuit, continuo ei fuisse inditum atq; insitum desiderium moriendi, pro humana salute. Proinde ei magna crux fuit, tam diu sufferre desiderium illud, quod ipse illico voluisset adimpleri. Quem porro Librum si- gnificat hæc sancta Virgo, exarari coepsum in ipsa Verbi in- carnatione, Librum inquam crucis spiritualis, seu crucian- tis desiderij; eundem in cathedra crucis esse denique per- fectum atque completum, docet B. Laurentius Justinianus, *Triumph.* dum ita loquitur: *Quamobrem cum scribere compleisset, ni- Chr. agon.* bilq; superesset scribendum, dixit: *Consummatum est, &c.* *c. 20.**

Expressius autem eadem S. Catharina epistolâ quadam *Ep. 24.* ad Petrum Cardinalem Ostiensem; ubi Christi exemplo il- lum adhortans, ut (quod ipsa ait) *in mensa crucis comedat ci- bum divini honoris;* disertè pronunciat: *maiores in Christo fuisse crucem desiderij cruce corporali, atque illam portasse à principio, usque ad finem vitæ.*

Præ cæteris autem in hoc argumento disertam invenio *Vii. c. 56.* B. Angelam Fulginienſem; quæ eam rem in tantum exag- gerat, ut non dubiter quodam loco dicere: tantum tamq;

acutum fuisse dolorem in anima Christi, dum esset in utero Matris, quantum postea passus est in cruce, hoc uno excepto, quod veram non haberet eorum tormentorum experientiam. Idque se ait in mentis excessu eum in modum planè cognovisse. Verùm sanctæ viduæ verba, plusculum oportuniùs reddam paragrafo sequenti.

Cæterùm cum eo argumentò conscripti extant pij quidam libelli; ex ijs, si ad manum forent, liceret fortassis hunc testium indicem locupletare: sed quando nos illi jam deficiunt, ijs erimus, quæ in præsentia occurrere, contenti

## §. 2.

*Crux illa Christi spiritualis, quibus ex partibus consistit.*

Atque ex his quæ jam delibavimus, utcunque licebit, **A**ejus crucis Christi spiritualis, quam perpetuam appellamus, notionem aliquam mente effingere, & quibus rebus, ceu partibus constet, definire. Ad illam quippe construendam concurrere, tum reliquæ omnes externarum internarumq; afflictionum species, quæ bono Jesu non facile ullo seu loco seu tempore defuerint; tum verò maxime assidua illa subeundæ crucis & mortis acerbissima recogitatio; cum ut etiam antea indicatum est, passionis suæ haud unquam deponeret memoriam, sed dolorem suum in conspectu semper haberet. Hinc quippe in ejus anima subnascebatur affectus duplex, cujus utriusque motibus sibi adversis & pugnantibus in speciem, mitissima illa anima dies noctesque vellicaretur. Alter, horror quidam & averfatio tormentorum, quæ subeunda sibi præsentisceret, ea nimirum refugiente (sed quæ ipse mensurâ statueret) atque exhorrente naturâ; quem ille affectum, instante horâ passionis, usque eo permisit invalescere, ut præ agonia multo sanguine sudaverit. Alter, ex opposito insurgens, earundem poenarum ingens ac morâ impatiens desiderium, ob illam, quæ sollicitabatur assidue, paterno præcepto obsequendi, atque ad salu-

tem

tem mortales adducendi, cupiditatem. Quibus affectibus inter se commissis, necesse erat in ejus animo collisionem, luctamve non levem existere; ut eapropter coartari & tanquam opprimi se diceret, impatienti desiderio earum rerum, quas animæ pars (ut vocant) inferior tantopere averfaretur.

Quod enim nonnulli in re præfenti dissentiunt; negantes, Christum, nisi appropinquante passionis tempore, dolorem illum ex futuræ suæ passionis præfensione antecapere potuisse, hac ratione ducti: quod mala quæ adhuc absint longius, neq; prævideantur ut de propinquo imminetia, non ita nata sint commovere sensus, & dolorem aut tristitiam ingenerare: quo argumento Joannes Nider, ait. *Formic. l. 1. c. 11.* Christum fuisse semper martyrem, notitiâ scientiæ infusæ, sed non sensu doloris, & experientiâ. Id, inquam, non satis est, ut quemquam à nostra opinione dimoveat, quam vidimus in Sanctorum dictis non infirmum fundamentum habere. Siquidem, ut libenter concedimus, cum jam è propinquo malum impendere cernitur, majorem in eo inesse vim ad concienfos immutandofq; sensus nostros, & quandam in nobis progignendam velut anticipatam experientiam jam jam instantis urgentisq; doloris: non adeò tamen negari potest, etiam longius absentis mali, sed certò aliquando obventuri ita expressam atque attentam efficacemq; prænotionem esse posse, ut dolorem animo cruciatumq; grandem inferat, præfertim cum rei imago ita figuratur & subijcitur mentis oculis, perinde atque si non absens esse, sed coram nunc geri videatur.

Idq; nominatim in Christo valuisse contendimus, qui & scientiæ infusæ perspicaciâ, futurarum pœnarum gravitatem, insolentiam, diuturnitatem, & reliqua adjuncta prænoverat, eaq; assiduâ versabat cogitatione; insuper & affectus suos, utramvis in partem habebat in potestate, passionique suæ proludens, ipsam pœnarum experientiam occu-

Zzz

pabat

pabat patendi desiderio, & longum amarorem libens ostendit; forbebat. Jam si, uti docet piorum hominum experientia, Salvatoris passio pridem præterita, jamque adeo ad illum discrucandum nihil attinens, attamen attentè recogitata eam vim habet, ut mœrorem, luctum, dolorem in animis meditantium concitet, ex sola cum Christo jam olim passo compassione: multò sanè id magis efficere potuit, nondum exhaustus iste calix, idque in corde ejus cui propinquandus apparabatur, quique illius ingratisimam amaritiam immenso meliùs comprehenderet, quàm attingere valeat, cujusvis hominis contemplatio.

Tandem cum (veluti SS. Birgittæ ac Teresæ revelatum est divinitus, nosque primâ parte pluribus docuimus) ipsa Dei Mater, ex eo saltem, quo ei B. Simeon denunciata, futurum aliquando, ut ipsius animam doloris gladius transigeret, in magna vixit perpetuâque amaritudine, præ illarum, quas filio suo obventuras cognosceret, acerbissimam expectatione: nunquid filium ipsum censebimus, cujus res unicè agebatur, eâ causâ immunem fuisse tristitiæ, neque ullam ad ejus doloris partem pertinuisse? Quin imò credemus, & ipsum vixisse in perpetua amaritudine & prægustatione crucis suæ: tamen illum dolorem suum corde premeret, & intra mensuram sibi placitam, cum magna interni externique hominis tranquillitate, contineret.

Audiatur hinc denique B. Angela, sermone simplici, sed luculentè tamen, ita confirmans. Sic enim loquitur agens de tertia Christi societate, hoc est summo dolore: *in*

*Vit. c. 61. illo momento, quo fuit anima illa humano corpori & Divinitati unita, statim in utero Virginis Matris sue incepit sentire summum dolorem, intelligendo universaliter & singulariter omnes penas & quamlibet per se, quas ipsa anima cum sua carne experiri debebat, & pro nobis tolerare. Et sicut propinquus mortis factus fuit in agonia, & in tanta tristitia, quod corpus sudorem*

rem sanguineum usque ad terram emisit, propter hoc quod acerbitate mortis praevidebat: ita anima Christi praevidendo ista tormenta sibi affutura, summo dolore dolebat, quamvis corpus non experiretur tantum, sicut quando passioni fuit Christus propinquus. Et infra: Sciebat, & continuè considerabat, à quibus, & quando, & quomodo, & quantum debebat affigi, interfici, deludi, & mactari; & videbat se ad hoc natum, & venisse in mundum: unde non poterat esse nisi in dolore, &c. Ad extremum ita concludit in rem nostram: Et sic tota vita Christi fuit associata summo dolore, tristitiâ, & afflictione.

Maneat igitur quod dicebamus: Christum per omnem vitam, cum futuram passionem suam certâ prænotione, comprehenderet, magnum animo dolorem ac cruciatum, exinde cepisse; atque ex his internis angoribus (ut alia deessent extrinsecus) occultam, sed gravem, sed longam & perpetuam crucem, benignissimo Salvatori constructam ac constitutam fuisse.

Quo loco & istam adferre liceat à proposito non abhorrentem cogitationem: Quemadmodum ex ritu recepto, summo Pontifici ejusve à latere Legato, quocumque procedant, crux antefertur: ita Christum Dominum, qui & Pontifex noster appellatur ab Apostolo, & pacis cum mundo conciliandæ gratiâ, Legatus est de Latere Patris (quippe quem virum coherentem sibi, ipse per Prophetam appellat *Zach. 13.* Pater) quidquid animo ageret prætenderetve, vivam & ob oculos perpetuò obversantem habuisse futurorum suppliciorum imaginem; ipsamque adeo crucem suam, quocumque pergeret, quocumque se verteret, sese quodammodo antecedentem aspexisse.

§. 3.

*Tam præproperi in Christo Crucis complexus, causæ nonnullæ.*

Hinc

Hinc autem in primis mecum colliget pius Asceta, quātingens fuerit in Christo JESU, & quantopere flagrans crucis amor. Qui cum posset, si vellet, salvo etiam precepto Patris, & incolumi atque integra salutis humanæ procuratione, in tempus huic rei præstitutum differre passionis sensum; & aversâ aliò futurorum malorum imagine, omnem crucis suæ præsumptionem ac prægustationem declinare; voluit tamen ab ortûs sui principio, & per omnia deinceps momenta vitæ, in assidua tormentorum suorum præsentione ac recogitatione versari; eaque ratione crucem suam, quæ paucarum horarum esse poterat, vitæ suæ commenam atque coævam, eoque perpetuam, facere. Itaque nec ipsum nascendi tempus sustinens, etiam in materno utero, ipsoque aded primo sui conceptûs momento, ut cum Apostolo Paulo primâ parte diximus, moriendi legem sibi à Patre impostam defixit in medio cordis sui, oblatamque crucem ardētè complexus, jam tum sponte suâ in illa distentus est; omnes illius acerbitates semper in mente, semper in desiderio habens, earumque gustum atque experimentum anticipans; ut ex eo momento (prout Sanctus indicat Bernardinus) veluti crucifigi cœperit, & in cruce conceptus, in cruce natus, omni denique vita in cruce versatus, & non tantum mortuus dici possit. Tantus amor crucis, tantum tamque insolens patiendi desiderium fuit.

Hujus autem tam pronæ in Christo, adeoque effusæ, ut dicam præcipitis, in cruce sua complectenda prægustandæ, cupiditatis, cum multæ causæ possint adferri; istæ occurrunt in præsentia, ad exemplum nostrum, usumque cum primis accommodatæ.

*Prima:* ut hoc pacto evidentiùs ingentem suum erga nos amorem ostenderet; quorum utique salutis negotium ita cordi haberet præ cæteris, ut nullam sibi in eo procurando moram indulgens, quo primùm momento vivere, eodem

dem salutis nostræ servire, eodem pro nobis satisfacere occiperet. Nam (ut inter alios loco suprâ laudato ait S. Bernardus Senensis) *ab instanti conceptionis fuit in Christi anima totus actus internus, quo DEO pro omnibus satisfecit, & quoad omnem penam & mortem DEO placitam seu exactam, se promptissimè exposuit.* Ut ea denique contemplatione, pudeat nos pigeatq; aliquando nostræ (ut mollissimè dicam) in eo redamando inertia; itaq; deinceps nos comparemus, ut unica nobis sollicitudo sit illi vivere, illum diligere, illius honori ac gloriæ, quantumvis dura atq; acerba offerantur, obsecundare; verbo (quod graviter à S. Cypriano dictum. *De orat. Doct.* est) *Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam min.* ille præposuit.

*Secunda:* ut hac ratione in animis nostris aliquantum molliret crucis horrorem, eamq; doceret non adeo à nobis refugiendam aut repellendam esse, sed è contra in ea inesse quiddam, propter quod requiri atque amari digna sit: quando ipsa DEI Sapientia, sciens utique reprobare malum & eligere bonum, crucem suam ut rem oppidò desiderabilem, votis etiam præfestinationis expetierit, eiq; à vitæ principio ad ipsum è vita exitum, indissolubili amoris nexu copulata sit.

Itaque & ab his, qui se ut magistrum ac ducem consecrari affectent, jure postulat, ut suo exemplo crucem suam ferant *quotidie*, hoc est, assiduè ac perpetuò, prout suam. *Luc: 9.* ipse Salvator perpetuò tulit: perinde ac si nobis edicat, ut ait S. Hieronymus: *Nisi anima vestra ita ad crucem fuerit præparata, sicut mea fuit pro vobis, mei discipuli esse non potestis.* *In ps. 95.* Atque ut idem S. Doctor scribens in S. Matthæum: *In alio, In c. 10.* inquit, *Evangelio scribitur: Qui non accipit crucem suam quotidie, ve semel putemus ardorem fidei posse sufficere, semper crux portanda est, & semper nos Christum amare doceamus.* *Matth.*

## §. 4.

## Rationes alia eodem spectantes.

**T**ertia: Ut eodem exemplo discamus, crucis mortificationisq; studium, non in seram ætatem differendum, sed à teneris annis continuò capessendum esse; sicut scriptum est: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Quod verò, amabò, jugum Christi est, nisi crux Christi?

Quamobrem semper delectatus sum pià quadam parvuli Jesu imagine, quippe ad sensum hunc animis ingignendum bene apposità: in qua ille spectatur tenelli pueri specie, crucem humeris bajulans, spinoso sero præcinctus caput, nudo corpore; juxta ac si indicet, in se quidem mortem nullam esse, quò minùs actutum ducatur ad pulchram mortem; quin promptum esse se atque avidum, vel nunc (si liceat) in crucem agi atque suffigi, & ita implere opus redemptionis nostræ. Quà equidem formà fertur dulcis Jesus B. Osannæ Mantuanæ etiam puellulæ, sese videndum præbuisse.

Aut illa altera ejusdem pueri Jesu, sed grandiusculi effigie, lavà manu crucem subvectam humeris, detrà calathum, in quem funes, flagella, clavi, spina, & reliqua illa amara passionis argumenta congesta videas, animosè præferentis. Quò significetur, quod dicebamus, innocentem & amabilem puerulum, sævam illam dolorum suorum congeriem perpetuò habuisse præ oculis, jam tum promptum involare in crucem, jam tum cogitatione ac desiderio in ea distentum suffixumq; fuisse. Quod etiam indicat priorì imagini adscriptum lemma: *In laboribus à juventute mea.* At enim, à *juventute mea*, inquis. Quia etiam, mi Jesu, ab ipsa porrò pueritia, ab infantia, ab ortu, ab ipsa conceptione tua. Ex quo enim mundum ingrediens, priscorum illorum sacrificiorum tenuitatem ac jeju-

Psal. 87.

nitatem suppleturus. *Ecce venio*, dixisti Patri, semper te aspexisti ut victimam Patri placando destinatam, perq; longos dolores, assiduosq; cruciatus præparandam, ac demum in ara crucis in odorem suavitatis consumendam: ut proinde, quasi cultrum sacrificalem jam tum jugulo defixum, circumferres, ita nullum momentum doloris vacuum transires. Ergo & hoc cuique à juventute sua, immò ab ipsa pueritia studendum est; ut legem illam ferendæ crucis, uniuersiq; à Deo impositam, defigat in medio cordis sui. Ut enim rectè S. Ambrosius: *Nulla Dei regno infirma atas*, sem. L. 7. in Luc. 6. 15. perq; potius dolendum nobis, quòd serò nimium ad crucis nos signa contulerimus, neque licuerit vel ab ipsis vivendi initijs, sancti amoris studium, atque amabilem Crucifixi disciplinam amplecti.

*Quarta*: Ut in longis vexationibus, prolixis morbis, aut (ut S. Augustinus loquitur) *in medijs gemitibus & parturitionibus molestiarum*, quarum vel sola longinquitas, amaro tædio victum animum, refringere atque abijcere solet; illo nobis ob oculos posito invictissimæ tolerantæ ac perseverantiæ exemplo, ad malorum nostrorum patientiam confirmemur. Quantula enim est omnis crux nostra, ut longinqua nobis ac diuturna videatur, cum illa Domini ac Salvatoris perpetua cruce comparata? quâ ille annos tres & triginta, eòq; ampliùs, ita oppressus fuit, ut dies noctesq; hæc in eum incurfaret cogitatio, neque ullum sibi doloris intervallum permetteret: cum neq; sic somno illi occuparetur animus, quin vigili mente ad ea quæ Patris sui essent, attenderet, & opus nostræ redemptionis, crucisq; labores secum ipse perpetuò convolveret.

Iste igitur sit exercitj præsentis fructus præcipuus: ut in memoriam atque honorem imitationemq; crucis Christi perpetuæ, constanter atque hilariter perferas, si quæ tibi cruces, afflictiones, morbi paulò diuturniores obvenerint;

id tecum assiduè ejusdem exemplo reputans: victimam te esse divinæ gloriæ, pro tot peccatis tuis, summæ justitiæ cultro immolandam; perq; varias tribulationes, tandem cum Christo, in ara crucis, doloris & amoris igne concremandam: ita enim fiet, ut quidquid adversum atque acerbum occurrerit, id velut provisum meditatúmque; æquo animo excipias; memor, ferrum & ignem, nec mollius aliquid manere victimam, teq; per hæc dura, ad dignum Deo gratumq; sacrificium apparari.

*De utilit. jejum. c. 3.*

Quem etiam in morem alicubi invenio S. Augustinum, eadémque; prorsus cogitatione se in pœnis suis confirmantem. Nam cum de supplicijs quæ sponte suscipiuntur differens, id sibi objecisset quasi ex persona tentatoris: *DEO ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis est, qui delectatur pœnis tuis?* tum fortiter respondet in hunc modum: *Excrucio me plandè, ut ille parcat; do deo me pœnas, ut ille subveniat; ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem ejus; quæ postrema jam supra posuimus. Nam & victima (subdit) excrucietur, ut in anum imponatur.*

Hunc igitur in modum, nos quoque animo affecti, & comparati esse debemus: quemadmodum & Martyr Ignatius; dum locum supplicio suo apparatus, tanquam altare aspiceret, bestiarum dentes velut instrumenta sacrificij, quibus Deo immolandus esset; ita Romanis scribens: *In hoc potiùs incumbite, ut DEO immoler, dum adhuc altare paratum est. Et postea: Orate, ut per hæc instrumenta, DEO fiam pura hostia.* Sed de his hætenus.

### CAPVT XVIII.

*Considerationes, quibus efficitur, afflictiones à DEO immixtas, cum veneratione atq; amore esse suscipiendas.*

A gra.

**A** Gravioribus magisque arduis robustæ patientiæ documentis, quæ antea sparsim exposuimus, descendimus modò ad faciliqres magisque obvias, malorum nostrorù patientiã sublevandi, & nosmet ipsos, acerbis in rebus, vario ad Christum exemplar nostrum respectu, piè ac jucundè consolandi, rationes. Quas quidem hoc capite tradi cœptas, ad extremũ usque istius partis persequi consilium est, ut è pluribus eligat quisq; quæ ad genium suum magis faciant; aut etiam (uti placuerit) nunc hanc, nunc istam cogitationem, ad usus suos adhibeat, quotidianarum ærumnarum familiarè remedium, & vitæ acerbæ non utile delinimentum.

## §. I.

*Afflictiones nostras, veluti micæ de mensa crucis deceduas, religiosè excipiendas esse.*

**A** Tque id in primis tecum reputato ac constituito, mi Lector. Si ea tibi fors olim oblata esset, ut Christo vescenti, ad mensam ut minister assisteres: quâ gratulatione ac reverentia, fragmenta panis, aut ciborum analecta recolligeres? Nunc igitur in rebus adversis, & quoties difficile quidpiam ad patiendum occurrerit, eum in modum tecum philosophare.

Inopia, morbi, dolores, ægri tudines animi, & omnes ærumnæ quæ nobis in vita obveniunt, fragmenta sunt divinæ mensæ, quæ jubemur colligere ne pereant, & sine fructu efficiantur in nobis. *Micæ sunt cadentes de mensa crucis: tibiq; ipse gratulari debes, quòd peculiariter dignus habitus sis, qui instar catelli edas de mensa Domini tui. De Matth. 23.* nique spicæ sunt, quas validus ille laborum dolorumq; messor tibi reliquit, etiam de industria proijciens, ut habeas quod colligas, sequens ipsius vestigia, & panem invenias, *Ruth 2.* quo alaris in vitam aeternam.

Hic certè panis est, quo Deus filios suos amat alere;

A a a a z

quò

quò quemque chariorem habeat, hoc severius illum educans, & durâ disciplinâ paratâ cooptans hæreditati. *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Nec alio quàm hoc lacrymarum pane filium suum dilectum & unigenitum cibavit. Si is fuit panis primogeniti, quidni & noster? *Meus cibus est* (inquit ille) *ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Hoc est, œconomiam humanæ salutis, tot sudoribus & laboribus affectam, tantis tormentis ac doloribus, & ignominiosâ denique morte complendam. Mancipiorum panis, terrena consolatio: cùm plerumque reprobis temporalis obtingat felicitas; contra verò electi omnibus conflidentur incommodis. Ita ferè res temperante Providentiâ, ut quibus æternam hæreditatem apparet, hos laboribus exerceat ad gloriam; eos autem istis bonis aspergat ac solatiolis temporalibus, quos merito suo fore præciat gloriæ cœlestis exhæredes.

Neque verò Christus in Evangelio promisit electis sæculi gaudia, sed tristitiam, pressuram, luctum; mundo interim gaudente & exultante. Ut vel hinc videas, quàm non injuriâ plerique sancti suspectam haberent felicitatem hujus sæculi; & si aliunde adversi nihil occurreret, ipsi sibi essent pro persecutoribus, & spontaneis se supplicijs subijcerent: ne scilicet si extra disciplinam essent, inter adulteros & non germanos DEI filios computarentur. Audiatur ceterorum nomine S. Gregorius, ad illud dolentis Job cap. 3. *Quare misero data est lux, &c. Sancti viri* (inquit) *cum sibi suppetere prospera hujus mundi conspiciunt, pavida suspiciones turbantur. Timent enim, ne hic laborum suorum fructus recipiant: timent, ne quod divina justitia latens in eis vulnus aspiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans, ab intus repellat.* Verùm priusquam hinc abeo, placet isti affinem nec multùm diversam accumulare commentationem.

Sic igitur hinc rursus tecum reputa. Si Salvator tuus in terris agens tibi prabibisset, ipsumque suum calicem propinasset atque obtulisset, quanto affectu, quantâ reverentia, atque grati animi significatione, reliquum calicis ebibisses? Atqui hoc ipsum est, quod hodieque à te postulat. Audi illum de cruce acclamantem, & iisdem vocibus, quibus olim sibi cum primis dilectos discipulos affatus est, te invitantem: Dilecta anima, potesne bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Expectat autem sanè quàm avidè, ut invitanti hilarè respondeas; atque id ipsius tanquam honori ac gratiæ tribuens, oblatum calicem gratus acceptes; & pauculas illas quasi guttas amaritudinis, quæ circa calicis labra remanent, libens exforbeas. Nam si verum loqui volumus; ipse grandem illum passionum & amaritudinum calicem, à Patre sibi propinatum, usque ad fundum & fæces exhaustit; ut nobis illius non nisi stilla relicta sit, quam degustantes, Christi passionibus communicemus. *Cur recusamus* (inquit Thaulerus, de Dominicis flagellis agens) *vel guttulam unam myrrhæ acerbioris degustare causâ illius, qui sese totum propter nos in ipsum amarissimum passionis pelagus immergi passus est?*

Marc. 10.

Explic. pass. c. 9.

§. 2.

*Easdem, tanquam fragmenta quedam crucis Dominica, aut portione aliquam passionis Christi, aspiciendas.*

Conducet deinde ad Christianam sanctamque malorum patientiam ista etiam persuasio: Dolores, afflictiones, angustias, quibus urgeris, esse quædam quasi schidia minutæve partes earum rerum, per quas olim Christus cruciatus est, & quibus tactu corporis sui sanctitatem ac religionem impertijt; proindeque easdem afflictiones, ut sanctarum rerum pretiosas reliquias, cum gratiarum actione & venerati-

one

one tibi suscipiendas esse. Itaque & hic descendendo ad singula, licebit ad hunc modum ratiocinari.

Si partem aliquam eorum flagellorum, quibus Christi corpus sacratissimum olim dissectum & laceratum fuit, undeunde nactus esses: quanto illam affectu & pietatis sensu ori apprimeres & dissuaviareres? Nunc autem in morbo, quem, exempli causa, nunc pateris, flagellat te Deus, ut similis sis Filio ipsius unigenito, deique ejus flagellis participes. Ecquid igitur cum illo paratum te offers in flagella, & gratanter flagellantis manum, ipsumque flagellum exocularis? Rursum: Si spinam aliquam donareres coronae Christi, ut rem pretiosam tibi; charam auro certe ac gemmis includeres. Atqui, si bene rem aestimas, haec tua afflictio, hic capitis dolor, haec molestia, hi scrupuli & mentis anxietates, sunt una de spinis, quibus Domini tui caput praecinctum atque compunctum est. Agnosce igitur divinum munus, & illud in pretio ac veneratione habere.

Tandem: Si Dominicae crucis particulam humi forte abjectam & neglectam, invenires; eam cum gaudio levaris de terra, eoque invento plurimum tibi gratulareris. Ecce tibi modo in manus venit sanctae crucis portio: omnes quippe justorum tribulationes particula quaedam crucis Christi sunt. Quidni igitur illam libens admittis, immo cum gaudio occurris venienti?

Et hanc ipsam considerationem facile erit sigillatim transferre ad reliqua incommoda mortalis vitae; nam haec penuria v. g. hic rerum defectus quem pateris, quodammodo una est de stipulis, super quibus Christus recens natus reclinatus est, aut certe ramentum ipsius praesepis, aut panniculorum ejus fragmentum. Haec ignominia, hoc opprobrium, particula est & lacinia vestis albae, qua Christum induit per ludibrium Herodes, & qua (si eadem recte uti noveris) aeternae gloriae te candidatum efficiet. *Ista tristitia,*  
*haec*

hæc amaritudo animi & oppressio cordis, est velut gutta felle potus, quo illius os in passione imbutum est. Et ita de alijs.

Quin & ipsas denique afflictiones tuas, non modò ut earum, quas dixi, externarum rerum particulas aliquas aspicere debes; sed etiam tanquam portionem ipsarum Christi passionum, quas veluti Christus, præ quàm externa illa, intime in se suscepit, ita etiam majori quadam affecit sanctitudine, & majori honore atque amore dignas reddidit. Ad hoc enim faciunt illa B. Petri verba: *Communicantes Christi passionibus gaudere: ut & in revelatione gloria ejus gaudeatis exultantes.* Quid enim est Christi passionibus communicare, nisi in earundem passionum partem, ac societatem venire? Igitur, ex S. Petri mente, afflictiones quas patimur, particule sunt, & velut reliquie earum passionum, quas Christus in se nostrâ causâ suscepit: easq; par esset, non patienter modò, sed etiam gaudenter excipere, tanquam ejus intimo complexu peculiariter consecratas; & quasi pignora ac semina ejus gloriæ, ad cujus etiam communitatem vocantur, qui socij fuerint & participes passionum ejus. Ut enim ait ista confirmans Latientis Abbas: *quodvis gravamen imaginem aliquam excellentissimam passionis Domini nostri JESU Christi refert, & in eo homo promereri potest perfectam ejusdem passionis Dominice participationem.*

*Ep. 1. c. 4.*

*Instit. spirit.*

*c. 8.*

§. 3.

*Easdem esse velut stigmata Domini IESU, in corpore aut corde nostro impressa.*

Postremò adversus incurstantes in te molestiarum aculeos, & istâ cogitatione armaberis. Si DEUS singularis benevolentie gratiâ, aut corpori tuo, ut B. Francisco aut cordi tuo, ut B. Claræ de Montefalco, aut etiam B. Gertrudi contigit, suorum vulnerum sacra stigmata, aut passionis suæ

suae peculiare notas imprimeret; quam grato animo divinum hoc munus exciperes! qua in aestimatione hoc salutis pignus; hanc ineffabilis dilectionis arrham, quo in pretio haberes! Ecce autem, quanquam occultis modis, id ipsum tamen tecum agitur, quoties tibi Salvator tuus, pro sua adversus electos suavi providentia, aut immittit adversi aliquid, aut obvenire permittit. Nec enim, opinor, in corpore suo, vulnerum seu passionis Christi certa signa aut impressas notas divinitus acceperat Apostolus; & tamen

Gal. 6.

gloriatur, & dicit: *De cetero nemo mihi molestus fuit, ego enim stigmata Domini JESU in corpore meo porto.* Nimirum vincula, verbera, plagas, plagarumque cicatrices, quae in Christi causa haecenus perpeffus fuerat, stigmata Domini JESU appellat; quod his tanquam notis ac stigmatibus insignitus, verus ac peculiaris Christi servus agnosceretur. Veluti

L. 1. c. 7, &amp; 11.

de Magno Constantino refert Theodoretus in historia; cum in illis Nicœni Concilij Patribus, qui pro Christi fide dextros oculos effossos habuerant, atque (ut idem autor loquitur) stigmata Domini JESU in corpore suo gestabant, impressis labijs plagarum vestigia, magno fidei ardore excusculatum fuisse. Nec absimili pietatis sensu S. Paulinus Nolanus; dum ad S. Victricium Rothomagensis Episcopum, qui sub Juliano in Gallijs militans, fidei Christianae gratia,

Epist. 2. ad Vict.

immanes plagas pertulerat, ita scribit: *Quis daret nobis pennas columbae, & volarem ad te, & requiescerem in conspectu sanctitatis tuae, coram in ore tuo Christum DEUM admirantes atque venerantes, tergeremus capillis pedes illius tuis pedibus, & lacrymis rigaremus, & in illis cicatricibus tuis quasi Dominicae passionis impressa vestigia lamberemus!*

Igitur, uti dicere coepimus, eadem nos mente esse convenit, si quid patimur adversi. Decorat enim nos Dominus suis insignibus, & quasi notis suis inscribit, ut hoc inulto diversarum afflictionum stigmatate, de ejus tanquam familia,

imò

imò de specialium amicorum electorumq; numero censeamur. Quò referri potest quod de S. Francisca Romana accepimus: quæ quadam die post sacram Synaxim in mentis excessu posita, visa sibi est videre Jesum, Crucifixi specie, vulneribus ipsis in modum Solis radiantibus; eundemque sibi tanquam gratulantem audire, quòd sua (ut agebat) arma & insignia gestaret: quo nomine visus est (uti observat Julius Ursinus) dolores pedum ac manuum, laterisq; plagam, peracerbâ, ei sanctæ viduæ divinitus impositam, significasse.

L. 3. c. 6.

Proinde, si corpori quidem molestum aliquid acciderit, si morbus obvenerit, si membrorum artuumve vexatio; gratulabimur nobis videlicet, quòd stigmata Domini Jesu circumferamus in corpore. Si autem animum invadet tristitia, lancinabunt curæ, discrucabit anxietas: tum eadem stigmata crucisq; Dominicæ characteres, cordi nostro inferibi atque insculpi fingemus. Atque ejusmodi passionis Christi notas & imagines, præ illis quas principio memoravi, hoc quodammodo amabimus magis & exosculabimur, quòd earum voluntaria susceptio ac tolerantia, non modò divinæ erga nos benevolentia sint pignora, sed vicissim nostri in Christum amoris certissima documenta.

Sed delectat me S. Eulaliæ 12. annorum virgunculæ, inter pestines & ungulas ferreas, quibus tenerum illius corpus à carnificibus lacerabatur, sublimis eo in genere Philosophia: quippe quam unguularum notas ac vulnera sua intrepidè spectantem, & quodammodo dinumerantem, atq; his vocibus Sponsum suum alloquentem, describit Christianus Poëta Prudentius:

*Scriberis ecce mihi Domine,  
Quàm juvat hos apices legere,  
Qui tua, Christe, trophæa notant!  
Nomen & ipsa sacrum loquitur  
Purpura sanguinis eicici.*

Peristeph.  
Hymn. 3.

B b b b

Vides

Vides excelsam Virginis mentem; & quibus illa se cogitationibus, in ipsa artuum suorum laniatione, ac cruoris undique scaturientis aspectu sustentaret, deq; ipsa tormentorum atrocitate solatium animumq; sumeret. Aspiciebat, nimirum cruciatus suos, velut pretiosa Domini Jesu stigmata; gaudebatq; in membris suis, tanquam in delicata membrana, ferreis illis stylis, acutisq; pectinibus exarari notas, & characteres imprimi, qui Christi triumphum loquerentur, & crucis trophæa signarent, perq; hiantia laterum suorum costarumq; vulnera, tot quasi ora aperiri, ipso sanguinis vocali profluvio, JESU nomen ac gloriam apertissime prædicantia.

## CAPUT XIX.

*Alia nonnulla considerationes eandem ad rem pertinentes.*

### §. I.

*Iustorum in vita afflictiones, meras Christi amanti blanditias esse.*

**A**rumnas & molestias hujus vitæ, quæ Deo vel imminente vel permittente justis eveniunt, esse dona amantissimæ dextræ, & specialia divinæ benevolentia signa, jam in superioribus, nec semel fortasse, prædiximus. Ut porro homini afflicto, & sub ærumnæ suæ pondere gementi merito liceat evangelicum istud occinere: *Si scires donum DEI.* Si intelligeres, quorum bonorum compendium, quanti favoris pignus, quantæ gloriæ semen sit, hæc tua, quæcumq; est, tribulatio; si quibus oportet, illam oculis aspiceres: nimirum non illam, ut nunc aded facis, defugeres, sed optares potius, & obvijs ulnis amplectereris obvenientem, inq; ejus sinu atque complexu acquiesceres.

Verum

Joann. 4.

Verum illud lubet superaddere in presentia, eas ipsas ærumnas non qualiacunque divini favoris argumenta esse, sed quasdam veluti blanditias ac lusus incarnatæ Sapientiæ nobiscum ludentis, ac de patientiæ nostræ spectaculo, sibi oblectationem, nobis utilitatem quærentis.

Amœnum est, quod hoc in genere cuidam Virgini è S. Dominici familia divinitus aliquando objectum est. *Re-Vit. Suson. c. 36.* ferebat hæc, se in mentis excessu visam esse sibi videre roseum quoddam magnitudine præstans, & pulchritudine eximium, cui insisteret puerulus JESUS, cum sero è rubicundis confecto rosis. Subtus autem ad rosei radices, visum sibi considerare Henricum Susonem, virum sanctum ex eodem Ordine, de quo superius alia nonnulla memoravimus. Porro puer JESUS, tenerâ manu rosarum flores videbatur hinc & inde decerpere, iisque Henricum infernè jacentem ludibundus apperere, dum blandis his telis totum denique cumulatè operiret, & tantum non obrueret. Ad extremum, quærenti Virgini, quid istud visi portenderet, respondit divinus puerulus: missilibus his rosis, tantâ copiâ in dilectum sibi ministrum conjectis, multiplices cruces & afflictiones adumbrari, quibus illum (Deo sic permittente) tentari & exerceri oporteret, & quas ille, tanquam ab divina & amicæ manu profectas, non modò æquo animo, sed etiam libenti atque hilari, acceptaturus esset.

Vides, quàm diversè à DEI sensu de his rebus iudicium ferimus; & (quod hinc consequi necesse est) ut præposterè atque perversè de illis loquimur, easque non suis nominibus appellamus? Tangit te fortassis amica & amabilis DEI manus, & aliquam (ut quidem appellas) ærumnam ac calamitatem tibi immittit. Sed adhuc ignoras ingenium ac mores amantis DEI. Tu illum profectò percutere credis atque sævire: sed quæ tibi verbera atque afflictiones videntur, hæc quidem meræ sunt blanditiæ; & dum te ferio vexari putas,

B b b 2

nihil

nihil nisi JESUS tecum ludit & delicias facit. Tandem quas nos cruces & spinas appellamus, molles rosæ sunt: è diverso autem quas rosas existimamus, opes scilicet, voluptates ac vitæ commoda, spinarum nomine, cœlesti nomenclaturâ censentur.

Luc. 8. 14.

Sider. in fa-  
sic. myr.

Et verò (ut quidam ex Nazianzeno referunt) cruces & incommoda hujus vitæ, flores sunt bonorum quæ expectamus, & propter fructum, florem quoque decerpimus.

Spec. spirit.  
c. 8.

Nec ineleganter aut abs re nostra Ludovicus Blosius: *Tribulationes in hac vita, præclarissima DEI dona sunt; & non est ullum certius signum divina electionis, quàm ut qui adversa humiliter ac resignato animo propter DEUM toleret. Frigere, æstu, infirmitate, & quibuslibet alijs gravaminibus extrinsecus DEUS purgat, sanctificat, mirificat, exornat animas electorum suorum. Et quos videt minus aptos esse, ut torques aureas (id est, graviores afflictiones) ferant, ornat eos saltem seriis atque flosculis, id est, levioribus tribulationibus. Sic ille.*

Is igitur nobis sit hujus considerationis fructus: ut ad leniendum minuendumque sensum dolorum nostrorum, non jam ad res ipsas, quæ nobis adversæ obvenerint, prout in se sunt aspicere; sed altiùs sublatâ mentis acie, manum & animum eas immittentis (per quæ dum transeunt, illæ sanè nomen, & qualitatem & gustum mutant) respicere consuefcamus: illudque etiam nobis suggeramus identidem: dignum esse IESUM pro nobis passum, cui etiam cum aliquo dolore nostro gratos de nobis ludos ac patientiæ spectaculû præbeamus: ejusque amori, aliqua nos corporis aut animi ægritudine exercenti, aut (quando ita loqui cœpimus) per eam nobiscum lusitanti ac delicias facienti, ingenuâ & ipsi gratâque animi inclinatione & quasi collusionem, respondeamus. Hac eadem arte incommoda sua fallebat B. Franciscus Borgia, de quo illud est memoriæ proditum. Cum aliquando tardiùs ac multa jam nocte ad quoddam Societatis

tis nostræ domicilium devenisset, diuq; fores pulsans non audiretur, quòd & domestici somno sopiti essent, & domus à janua longè distaret; coactum esse multo tempore præstolari ad januam, cum etiam cælo nix multa decideret. Istam autem & longam, & intempestivam expectationem, confirmabat ipse postea, non modò sibi non molestam, sed etiam jucundam accidisse, cum animo suo reputanti; quòd veluti principibus viris volupe est, feram aliquam stimulis & arundine in arena aut circo agitare: ita DEUM crederet id temporis, dum mollibus se petit nivium globis, ex hoc quasi ludo aliquod de se oblectationis argumentum sumpsisse.

L. 2. vit. c. 12.

In quem ferè sensum & illa incidit comparatio, quã ipse Christus aliquando usus est apud S. Gertrudem, cum diceret: Quemadmodum fera venatu agitata, quam domesticum animal, acceptior esse solet; quòd illius caro tenerior sit esuq; jucundior: ita cordis affecti & variè exerciti munus, sibi longè esse acceptissimum.

l. 3. c. 58.

Sed neque hinc denique abludit; quòd S. Clara, B. Fratrem Juniperum, ex primis S. Francisci Sodalibus, mundi suiq; contemptorem egregium, solebat Christi joculatorem seu ludionem appellare; quòd is ludicris in speciem actionibus, sed cum vero sui despectu ac seria vexatione conjunctis, jucundos de se ludos voluptatisq; materiam Christo præberet.

§. 2.

*Christum electis suis luctum, dolores, angustias, hereditatis nomine reliquisse.*

Denique ad pium ac fructuosum in malis nostris solatiũ valere potest & hæc non vana cogitatio:

Afflictiones atque ærumnas hujus vitæ, esse Christianorum patrimonium, & hereditatem electis suis à Christo moriente transmissam. Pulchrè siquidem S. Cyprianus, vel

vel quisquis est autor sermonis illius de Cœna Domini, B. deles appellat Crucifixi hæredes: admonens, ut inter celebranda divina mysteria, instar pecudis findentis unguam, & ruminantis, passionem ac mortem Domini in mentem revocemus: ut *semper*, inquit, *passio sit in memoria, nec timeant Crucifixi hæredes mortis supplicia.* Et verò quid hæreditatis nomine nobis in hoc mundo relinquere potuit Crucifixus, nisi ea bona quæ ipse possedit moriens; nempe spinas, clavos & vulnera; dolores, inquam, & opprobria crucis suæ? Ut jam appareat, quàm rectè (uti supra vidimus) B. Angela Fulginienfis, suos in Christo filios, spiritali quodam testamento hæredes instituens, sic edixerit: *Relinquo vobis totam hæreditatem meam, quæ etiam Christi JESU est, scilicet pauperiam, dolorem & despectum, vitam videlicet Christi: illud etiam supremum adiciens; dubitandum non esse, quin, qui in hac vitâ hæreditatem hanc adierint, in futuro sæculo æternæ vitæ hæreditatem accipiant.*

Hæc igitur omnis est in præsentî Christi sectatorum hæreditas, egestas, dolores, opprobria. Nam his opposita, in quibus mundus ita se amat, opes scilicet, delicias, honores, nec Christus admisit, nec suis promisit: sed scilicet hujus sæculi, ut partem ipsorum propriam (quando et ipsi hæreditate, tamen si damnosa gaudent & contenti sunt) lubens volensq; dereliquit. Eorum certè vox illa est in Libro Sapientiæ, eo se nomine invicem adhortantium, ad fruendum bonis, quæ sunt: vino pretioso, unguentis, rosis, &c. atque ad carpendum florem temporis, & signa lætitiæ ubique relinquenda: *quoniam* (inquiunt) *hæc est pars nostra, & hæc est fors.* Unde ad suos Christus, divertam, utrorumq; partem ac sortem indicans: *Mundus gaudet* (inquit) *vos autem contristabimini.* Et verus Christi discipulus S. Augustinus: *Animadvertat quisquis delicias hujus sæculi quarit in nomine Christiano, intrinsecò esse beatitudinem nostram.*

Sap. 2.

Joann. 16.

nostram. Nam extrinsecus maledicta, persecutiones & detra-  
hiones promittuntur: de quibus tamen magna merces est in  
caelis, &c. Habet quippe Christus Dominus noster in

*De serm. in monte l. 1. c. 5.*

regno Patris sui meliorem & manentem substantiam; in-  
cujus etiam coelestis patrimonij partem iisdem nos tabulis  
vocatur. Verumtamen, quod Romanis Legibus olim di-  
ligenter cautum est; ne cui tota delata est hereditas, pro  
parte haeres esse, & pro parte hereditatem repudiare possit:  
hoc idem obtinet in praesenti; ut nisi eam quae hic nobis of-  
fertur hereditatis partem adierimus, non possimus illam,  
quae in caelo nos manet, cernere, attestante hoc Apostolo,

*L. 1. § 2. L. si solus. ff. de acq. vel om. her.*

dum dicit: *Heredes quidem DEI, cohæredes autem Christi: Rom. 8.*

*Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Et facit illa tan-  
quam divini Juris Regula, quam tradit S. Augustinus, & a-  
lij: *Non potest quis huius & in futuro gaudere; sed unum necesse*

*Soliloq. c. 22*

*est ut perdat, qui alterum voluerit possidere.* Juxta ac si dice-  
ret: non possumus pro parte capere hereditatem Jesu Chri-  
sti, volendo scilicet in altero saeculo cum illo gaudere; &  
eam pro parte repudiare, nolendo nimirum in hoc saeculo  
cum illo dolere: sed delata nobis successio, aut integra no-  
bis adenda est, aut ex toto omittenda. Praesertim autem  
si attendimus, portionem illam hereditatis coelestis, non  
pure nobis aut absolute deferri, sed eo seu modo seu condi-  
tione adjecta, quam expressit Apostolus: *Si tamen com-*

*Luc. 24.*

*patimur, &c.* cum neque ipse DEI Filius illam gloriae here-  
ditatem, nisi eo modo adire potuerit: *Oportuit (inquit) pati*

*Christum, & ita intrare in gloriam suam.*  
Habes igitur in rebus adversis, quas multas necesse est  
humana in vita, & praesertim pie in Christo vivere volenti-  
bus, obtingere, qua animi tui aegritudinem aliqua ex parte  
sanare, & te ipsum solari cogitatione possis. Paupertas pre-  
mit, dolores ingruunt, ignominia appetis? Atqui hoc  
proprium Christiani hominis patrimonium est, & luculen-

ta.

ta hereditas tibi à Crucifixo delata. At grave, acerbum, infuetum, atrox, & intolerabile est malum quod pateris. Illud igitur aspicias complecterisq; veluti pretiosum cimelium in amoris pignus, tibi privatim ac propriè à Christo moriente relictum. At te miseriam, te ærumnæ premunt omnès, ut nemo quisquam perinde ac tu afflictus oppressusq; videri possit? Est proinde jam quod tibi gratuletur, ut cui, *Gen. 48.* tanquam dilecto præ cæteris (ut olim Josepho) portio major paternæ hereditatis obvenit.

Denique in omni afflictione, sic cum animo tuo stitue: præsentis mali patientiam esse quandam velut anticipationem præsumptionemq; hereditatis cœlestis: & hanc hereditatis Crucifixi partem, spe reliquæ brevi usurpanda, lubens gaudensq; apprehende.

## CAPVT XX.

*Duplici ratione ostenditur, quàm homini justo chara esse debeant præsentis vitæ tribulationes.*

**D**uas sibi affines meditationes illigamus in hoc capite, quæ pium hominem possint afflictum erigere, & urgentium malorum nonnihil demitigare acerbiter. Altera justos ipsos considerat tanquam pretiosos lapides, quos afflictionum ac tribulationum malleo tundi, exculpi, & variè conformari oporteat, quo demum evadant idonei ad construendam exornandamve Jerusalem cœlestem. Altera, ipsas afflictiones ut cœli margaritas aspicit; quarum pretium mundus ignoret, sed ijs solis exploratum sit, quibus Deus incerta & occulta sapientiæ suæ manifestaverit.

## §. I.

*Electos, ut pretiosos lapides, tuncsonibus atq; pressuris varie conformari & expoliri oportere.*

**E**X Scriptura divina & Sanctorum Patrum consensu com-  
pertum est: homines Deo acceptos, vivis & electis la-  
pidibus comparari, qui in hac vita tuncsonibus afflictionum  
& pressuris calamitatum cædendi, quadrandi & expoliendi  
sint, ut ex illis denique cœlestis Jerosolymæ aeterna ædifica-  
tio consurgat. Omnis alijs audiatur duntaxat Martyr Ignatius,  
ita ad Ephesios scribens: *JESUS Christus fundavit vos* Epist. ad E-  
supra petram, ceu lapides electos, coaptatos in divinum Patris phes-  
adificium, sublato in altum per Christum pro nobis crucifixum,  
spiritu sancto utentes pro perpendiculari, fide subvektos, charitate  
elevatos à terra ad cælum. Hæc S. Ignatius.

Illud nunc consequenter adijcimus: si quos fortè  
Deus peculiariter sibi dilectos, ad insignem aliquem & ex-  
cellentem gloriæ gradum destinat; hos velut lapillos pre-  
tiosos divino suo diademate inserendos, vexationum cruci-  
atumve scalpro, & multiplici tanquam affricu attrituve,  
studiosius scalpere & expolire consuesse.

S. Gregorius puellam quandam sanctam memorat Ro-  
mulam nomine, quæ sub idem tempus in Urbe sub Sancti-  
monialis habitu, juxta Ecclesiam B. MARIE cum alijs dua-  
bus morabatur: & ut idem ait, morum quidem divitijs ple-  
nam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Ipsa  
autem Romula, cum ad reliqua vitæ incommoda, molesta  
paralysis accessisset, annis pluribus in lectulo jacuit; pati-  
entia merito Deo in primis chara (ut varijs cœlestibus signis  
sub ejus mortem apparuit) mortalibus autem, aut ignota,  
aut sanè despecta. *Sed lacebat* (inquit S. Gregorius) *in ster-*  
*quilinio margarita DEI.* *Sterquilinium hanc ipsam corrupti-*  
*bilitatem corporis appello; sterquilinium abjectionem pauper-*  
*tatis*

Cccc

tatis

tatis nomino. Assumpta est ergo margarita, qua jacuerat in sterquilino, & posita in caelestis Regis ornamento. Jam inter supernos ciues emicat: jam inter ignitos illos lapides aeterni diadematis coruscet. Sic Magnus Gregorius, & ante illum S. Paulinus in ea quam supra laudavi ad S. Victricium epistola: ubi eum martyrem vivum appellans, rogat, ut vel sui esse memor in gloria, quando eum (ut ipse loquitur) in pretiosam diademati suo margaritam Rex aeternus aprabit.

Ex quibus id apparet quod dicebamus: quos Dominus in mundo grandium malorum patientiam exerceat, hos esse in caelo instar margaritarum aut ardentium carbunculorum, in aeterni Regis paludamento aut diademate collucentium: eoque proinde mirum non esse, si eos crebris scalpiorum ictibus exactius formari ac perpoliri necesse sit, quo puriores ac splendidiore, eoque cui destinantur loco, digni, inventantur.

Atque hic, si placet, ad exemplar nostrum, Christum crucifixum aspiciamus: quem utique oportuit, & tantum crucifixum aspiciamus: quem utique oportuit, & tantum quam lapidem angularem pretiosum, & primum fundamentum civitatis sanctae Jerusalem, sive malleorum ictibus tundi & quadrari, sive flagellorum affricu plurimo laevigari; & tanquam primae notae gemmam, solerti atque exquisito tormentorum attritu perpoliri: attritus enim est propter scelera nostra. Nam quod ipse Christus excellens quaedam & nobilissima margarita sit, ex Ambrosio dicimus: *Margarita enim (inquit) Christus est Dominus, quam negotiator ille dicitur in Evangelio, venditis omnibus rebus suis emere festinavit, & maluit omnes, quas habebat, saeculi gemmas amittere, tantum ut unam Christi emeret margaritam.*

1. Pet. 2.

Isai. 53.

In festo S. Lucia.

§. 2.

Demonstremus nunc (quod erat alterum) ipsas etiam afflictiones & incommoda mortalis vitae, ex divino iudicio Sanctorumque sententia, non aliter quam ut caeli gemmas unio.

tionésq; immensi pretij, aspicienda & acceptanda esse. Id adeò (ne rei admodum necessaria ignari essemus) multis divinitus luculentisq; documentis ostensum est.

Narrat Scriptor vitæ S. Dominici de fæmina re & no- *L. 2. c. 14.*  
mine Bona, quæ Romæ in turri juxta portam Lateranensem solitariam degebat vitam, & sancto Patriarcha in animi sui rebus libenter utebatur. Huic pectus infederat malum adeò fævum & pertinax, ut ei denique ubera tabo defluerent, & innumeris horrendisq; vermibus scaterent. Quam illa pestem, cujus ne aspectum quidem ferrent alij, adeò non averfabatur, ut vermes, si qui exciderent, studiosè recolligere, & in sinum suum reponere soleret: ut quorum pretium ipsa probè cognitum haberet. Ergò cum ad eam die quadam venisset S. Dominicus, & morbi mentione injectâ, unum ex his vermibus velut pro magno munere impetrasset, eâ tamen lege, ut eum deinde fæminæ restitueret; vix ille vermem in manus accepit, cum subito in gemmam elegantissimam conversus est. Sed tamen restitutus ex promisso, (sicut id dissuaderent focij) & loco priori redditus, ad priorem etiam formam redijt. Quanquam mox faustâ sancti viri precatione, omni deterfo tabo, & extinctis vermibus, piæ fæminæ pectus sanitati restitutum est.

Affine quiddam longè antè S. Simeoni Stylitæ seniori *Vit. c. 7. 68.*  
contigisse legimus. Is enim cum ab improbo dæmone gravem in femore plagam accepisset, idq; vulnus itidem plurimis vermibus scaturiret, eos subinde humi cadentes, ab Antonio discipulo (eo qui Sancti vitam & hæc ipsa scripto prodidit) seriò jubebat recolligi, receptosq; restituebat in locum pristinum, dicens: *Manducate quod vobis Dominus dedit.* Evenit autem aliquando, ut quidam Saracenorum Princeps Basilicus nomine, pietatis gratiâ ad Sancti columnam accederet, eodémq; tempore de Sancti corpore vermibus unus ad pedes ejus deflueret: quem ille correptum, cum

Cccc x

cum

cum venerabundus admovisset oculis, repente adverte-  
 commutatum esse in margaritam pretiosissimam: quo qui-  
 dem accepto tanquam divino munere, latus ac majori pi-  
 tatis studio inflammatus, abcessit.

*p. 3. vii. c. 6.*

Denique B. Lydwina post annos octo & triginta lan-  
 guoris acerbissimi, ostendit Christus coronam preciosissi-  
 mam, & miram gemmarum varietate ornatam, sed necdum  
 in orbem profusam perfectam. Cumque illa rogasset Domi-  
 num, ut se per quoscunque corpusculi sui cruciatus istius co-  
 ronam percipiendam aptaret, & quod sibi deesset, de merito-  
 rum suorum infinitate suppleret: haud longo intervallo ad  
 eam introgressi quidam milites, ut erant amentia & furore  
 agitati, innocentem Virginem per summam licentiam lu-  
 dibrijs ac verberibus, miris indignisque modis vexarunt. At  
 ecce tibi mox ex caelo consolator Angelus, qui afflictissima  
 Virgini denuntiet, eam coronam quam nuper imperfectam  
 viderit, usquequaque perfectam, & orbe toto absolutam  
 esse. Illa quippe ludibria & vulnera fuisse velut totidem  
 nobiles gemmas, quae ad ejus coronam absolutionem perfe-

*L. 3. c. 74. &c.*

ctionemque desiderabantur. Et simile quiddam S. Gerro-  
 di a Christo-revelatum invenies, in ejus divinis Insinuati-  
 onibus, non uno loco,

§. 3.

*Nonnulla ex dictis patientia documenta.*

**H**is autem ita se habentibus: opusne pluribus est, ut intel-  
 ligatur, quam nobis imponat rerum istarum fallax spe-  
 cies, ut quam non ex vero de praesentis vitae sive commo-  
 dis, sive incommodis judicemus? Quotus enim quisque est,  
 qui ærumnarum, morborum, opprobriorum, & ejusmodi  
 rerum nostrum pretium; aut qui eas ut caelestes lapillos & pre-  
 tiosas margaritas adamet, & non potius ut duros silices re-  
 fugiat & aversetur?

AL

*Reading. an  
no 1210. n. 35.  
Et 1258. n. 11.*

At enim aliter in Crucifixi schola inter alios institutus erat, is quem supra laudavi, avidus dolorum opprobriorumq; venator Juniperus. Cui cum contumelias ac probra tum alij tum fratres ingererent, quod suis (ut distabant) insanis sese suumq; Ordinem in contemptum & invidiam vocaret, sumpta ille in manus ac protensa vestis sue fimbria; implete (ajebat lætabundus) implete laciniam hanc pretiosis hisce margaritis: agitedum, neque dubitetis, quin illas ego ut cœli gemmas & opes immarecensibiles acceptem. Eademq; mente ac cogitatione olim S. Martyr Ignatius in epistola citata, ea vincula quæ pro Christi causâ à Syria Romanus usque circumferret, spirituales margaritas appellavit.

Incipe igitur & tu aliquando in Crucifixi schola philosophari, & ex tanti Magistri dictatis, alijs jam oculis adversa hujus vitæ aspicere, eaq; si in te incurrerint, tum æquo animo, tum verò etiam libenti ac gaudenti acceptare. Nam si quis profectò (quod per luxum & lasciviam fecisse fertur, nescio quis Romanus Imperator) si quis, inquam, te gemmis margaritisq; lapidaret: an non pretiosam hanc lapidationem gratulabundus exciperes, & adamantum carbunculo-rumq; ictus, etsi non nihil te pulsarent, non injuriæ loco, sed beneficij duceres, quin etiam lapidibus hujusmodi (ut in rem eandem venustè ajebat B. Juniperus) Parisijs Aureliã usque lapidari velles? Atque (ut aliorum non absimilis meditatio est) si densa de cœlo grando, aut horti tui amœnos flores decusserit, aut contuderit vites, aut frugibus tuis calamitatem importaverit: principio ingemiscas ad eum casum: at si, inexpectatâ conversione, omnem istum nimbum in summi pretij margaritas transijisse animadvertas, an non illico exultes ad eam insperatam felicitatem, & quæcunque fuit, jacturam in lucro ponas? Simillimè igitur ex hujus divinæ Philosophiæ scitis, adversis in rebus temetipse consolabere: eas nimirum, si suo illas pretio æstimare noverimus,

*Cornel. Roman. 8.  
Vit. Balt. Al-  
gar. c. 40.  
S. 1.*

mus, expetendas potiùs & in lucro esse deputandas, quod nihil nisi gemmæ sunt, quibus nos è cœlo Deus appetitum maximè amans, cum suos videtur percutere: neque refugiendos ictus lapidum, qui, ut graves & duri videantur, attamen sunt pretiosi adamantes, quibus nobis textur, adorneturve corona gloriæ, & diadema immortalitatis.

*Explic. pass.  
6. 13.*

Hoc denique habebis certissimum ac propè unicum in malis tuis solatium; si firmè id tibi persuaseris, quod à Joanne Thaulero verissimè dictum, & hic à nobis variè expositum & inculcatum est; *Excellentissimum donum, quod DEUS suos solet munerari amicos, crux est & afflictio.*

*Ambr. in ps.  
218.  
Aug. serm.  
222. de Tép.*

Atque ut his illud per occasionem attexam, quod fortè legenti novum accidet: etiam tantò antè Beatum Job (cujus ex purulentis ulceribus vermes efferbuisset, satis conmans est Sanctorum Patrum sensus, favente etiam Græco textu Scripturæ) eos ipsos vermes è suo corpore desuantes, uti rem sibi charam ac pretiosam, in locum suum reponere solitum, non uno autore condisco. Id enim in primis significant illa laudati Scriptoris Vitæ S. Simeonis, dum de eo sic loquitur: *At ille ponebat eos sibi in ipso vulnere* (vermes scilicet sibi redditos) *ad similitudinem justî Job, dicens: Manducate, &c.* Expressiùs autem antiquissimus Tertullianus

*cap. 14.*

in libro de patientia his præclaris verbis: *Diffecabatur Molus* (hoc est, diabolus) *cum Job immundam ulceris sui redundantiam magnâ aquavimitate distringeret; cum erumpentes bestiolas inde, in eodem specus & pastus foraminosa carnû ludendo revocaret.* Pulchrè autem, ludendo, inquit: quia fortibus ac generosis animis, & præsertim in autorem hinc & consummatorem Jesum attentius aspicientibus, quasi ludus sunt, quæ nos infirmi & imbecilles tanquam impatientia & intoleranda refugimus, & ad quorum solum aspectum aut cogitatum totis artibus inhorrescimus.

## CAPVT XXI.

*Malorum patientiã Christianum, velut nummum Regis imagine signari.*

§. I.

*Christum IESVM fuisse nummum à DEO Patre percussum.*

**I**lla porrò in superioribus non semel memorata Isaiæ sententia, quã Christum in passione describens, illum tanquam à DEO percussum considerat; hanc etiam nobis cogitationem ingerit, quã fortè non inutilis videbitur, ad malorum nostrorum patientiam consolandam.

Cùm etenim certum sit è divinis litteris, Christum crucifixum esse lytrum & pretium magnum redemptionis nostræ: eum non immeritò spectabimus, velut nummum, pretiosum & probatum; quo divinæ justitiæ representato, grande illud debitum, quod in primo parente contraxeramus, dissolutum est, atque antiquum nomen expunctum, & vera libertas ac vita æterna mortalibus comparata.

Quod si quæras hoc viso numismate: *Cujus est imago Matth. 22. hæc & superscriptio?* Respondet olim jam Isaias: *Non est species ei, neq; decor: & vidimus eum, & non erat aspectus. Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à DEO, & humiliatum.* Habes hic nummi imaginem, & quã ille formã, tum etiam à quo percussus sit. Et hæc est superscriptio ejus. *Propter scelus populi mei percussi eum.*

Nummus hic ut esset moneta proba, & æterno Patri ut pretium nostrum accepta, percuti debuit & ictu crebro tundi divinæ justitiæ manu, in incude crucis; & jã non modò servi formam accipere, sed in virum dolorũ & quasi leprosum configurari. Idemq; rursus, non leviter aut obscuris

seuris notis, sed alitè omninò, flagrorum, spinarum, & (ut ferè usus est in nummis nostris) ipsa forma crucis, impressus apparuit; & ita ex omni latere percussus, ut nulla in eo reperiretur particula, crucis figurâ non insignita, hoc est doloris aut ignominie vacua. Quòd si ipse DEI Unigenitus, qui seu formam DEI, seu formam hominis in eo spectares, totus aurum erat & pretium, attamen validè à DEO Patre percuti debuit, ut ista passionis & crucis tanquam publicâ & legitimâ formâ signaretur: quid demum me fiet; aut quantis me putem, & quàm validis afflictionum ictibus, ut debitum in modum configuret, esse pulsandum? qui, ferri instar, vilis & obscurus, tum etiam ad typi divini impressionem durus sum; insuper & aliâ formâ antè percussus: mihi ut recedendo reformandove, eò majore vi, eòq; pluribus ac repetitis percussibus opus sit; dum veteris hominis effigie oppressâ & abolitâ penitus, novissimi Adam imaginem, hoc est, Jesu Christo crucifixo, consigner. Veluti nos quoque admonet B. Apostolus: *ut sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem celestis.* Sed hoc ipsum modò paulò pluribus exequendum est.

## §. 2.

*Nos quoque, ceu nummos percutiendos; & eadem cum Christo imagine signandos esse.*

Quamobrem ut ista commentatio, in rem usumque nostrum transferatur; utile erit quæ subjungimus, paulò accuratius expendere.

*Primum:* cum etiam unusquisque nostrum nummus esse debeat, quo cœlum & vita beata comparetur; secundo dùm quod à S. Augustino, de Regni cœlorum pretio disserente dictum est: *Res ista tantum valet, quantum es tu; et Ep. ad Madam, & habebis illam:* Et à S. Ignatio Martyre in quadam epistola: *Virum pium esse numisma à DEO signatum:* etiam atque

atque etiam videndum est, quâ formâ hic noster nummus percussus sit, & Christi an bestiæ caractere, novi an veteris Adami imagine insignitus. Nisi enim signo Thau, hoc est, Christi cruce signati, nisi tribulationum & passionum tolerantia ad Crucifixi formam percussi aut cusi erimus; velut adulterini nummi rejecti, in celestes thesauros non inferemur. Quemadmodum enim denarius, regis imaginem ha-

L. 4. c. 70.

bet; ita (ut ait S. Irenæus) quicumque salvantur, *Regis imaginem & inscriptionem accipiunt*; quia nempe fiunt conformes imaginis Filij DEI, unâ scilicet formâ & eadem imagine signati, istis per gloriam, hic per malorum patientiam. Quod proinde animo probè comprehensum habens Apostolus, id præsertim satagebat, ut cognosceret (seu experiretur) societatem passionum illius, *configuratus morti Philipp. 3. 10.* quod quid est aliud, nisi eandem cum Christo patiente ac moriente figuram suscipere, & tanquam nummos conformes eadem formâ percussos esse. Quibus consentaneè in Lucam scribens S. Ambrosius: *Non mediocris est iste denarius, inquit, quo regis imago formatur, qui trophæum habet*

L. 6. in Luc. c. 7.

*Imperatoris expressum.* Trophæum quippe Imperatoris nostri, crux est; quâ signandi sumus, ut denarij probabiles, ac Deo accepti inveniamur.

At expressissimè in rem præsentem S. Paulinus; dum Sanctos ait esse aurum ignitum Deo; *quia videlicet (inquit) Ep. 4. ad S. eos per examina passionum in hujus mundi fornace conflatos, invenit (ut scriptum est) dignos se; & in his sacram imaginis sua percussit monetam.* Eosdemq; ipsos subdit à Deo conficturos tanquam numularios seu monetarios; *ut secundum suam formam probabiles Domino cuderent nummos, & abolita de nobis figurâ Casaris, vivum Regis aeterni numisma signarent.* Sic ille.

*Secundum:* Quapropter cum quid tibi grave ac per-  
pessu asperum inciderit: assurge animo, & adversus omnem

D d d

malor

malorum vim, temetipsum aliquâ ejusmodi meditatione confirma. Nummus es, quo cœlum emendum est, & beata illa æternitas comparanda. Tundendus est nummus, ut regiam in se imaginem, & ab hac pretium, dignitatem, atque æstimationem accipiat. Quid percutientis manum refugis, pretium futurus æternitatis? Percutit te Deus: sed ita nempe necesse est, quò tibi, dilecti Filij sui signum imprimat, quò te ad ejus imaginem conformet, quò ipse in te lineamenta atque figuram recognoscat, atque eodem te, ut monetam legitimam, & cui pretium & usus in cœlo sit, libenter recipiat. *Flagellat enim omnem filium, quem recipit.*

*Hebr. 12.*

*Postremum:* Proinde & illud Ecclesiastici præceptum, quo nos ad constantem malorum patientiam hortatur, in hunc ipsum sensum commodè licebit accipere. *Sustine, inquit, sustentationes DEI: coniungere DEO, & sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. Quâ quidem gravi & seriâ conduplicatione, perinde facere videtur, ac si diceret: Vis esse homo receptibilis, aurum probatum, moneta cœlo & Deo digna? Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; ignem, ferrum, malleum, dolores, angores, afflictiones sustine. His enim oportet hominem excogitari; his percuti, tundi; hisce formari, ut morti configuratus Salvatoris, evadat moneta æternitatis.*

O Domine! paratum cor meum, paratum corpus meum. En adsum, tunde me, quando ita convenit; & super incude crucis tuæ positum, quacunquē me voles formâ percutere. *Etenim (ut ait quidam servorum tuorum) dummodo tandem ad portum salutis perveniam: quid cure est, quæ & quanta passus fuero?*

*De imitat.  
Chr. 1. 3. c.  
57.*

CAPIT

## CAPVT XXII.

*Electos DEI in torculari passionum cum  
Christo premi atq; calcari oportere.*

**I**uvabit & ista consideratio, ad fortem malorum, imo & placidam hilarémq; patientiam, Salvatoris exemplo condiscendam. Eaq; propter neq; præmittenda visa est, neq; indiligenter exponenda.

## §. I.

*Christum instar botri in cruce compressum, expressumq;  
fuisse.*

**C**irca quod imprimis considerabis, Christum Dominum ex Patrum mente, sub botri imagine in scripturis sanctis representari. Et sponsam quidem videmus in divino Cantico dilectum suum Botro Cypri in vineis Engaddi comparare. Quod tamen plerique Interpretes, non ad uvæ racemum, sed sive ad dactylos racematim è palma dependentes, sive etiam aliorum referunt. Cant. 1.

Communior autem est atque expressa Patrum traditio, Christum Dominum ex botro signari, qui Numerorum 13. de terra promissa ab exploratoribus delatus est. *Botrus siquidem in veste* (inquit Hugo de S. Victore) *Christus in cruce* L. 1. de Sacram. p. 10.  
*est.* Et longè antea S. Paulinus, Christum dicit esse illum, *dulcem botrum, qui in crucis veste suspensus, de terra re-  
missionis & fructum nobis ostendit, & gustum dedit.* Eleganter autem S. Augustinus: *Dilectus est, inquit, & Dominus bo-  
trus uva, quem ligno suspensus de terra promissionis, tanquam  
crucifixum attulerant.* Ep. 3. ad Ser.  
Pulchrè enim iste S. Doctor, in illo In psal. 8.  
veste cum uva ex eo dependente, crucis quandam speciem Serm. 18.  
agnoscit. Cujus item rei allegoriam pluribus & scitè in larga  
sermone quodam exponit B. Ambrosius, istud quod dicimus Serm. 18.  
veluti confessum supponens: *Nam botrus* (inquit) *in pba-*

D d d 2

larga

langua suspensus, in cruce Christus appensus ostenditur. Quod de re plura Jacobus Pintus L. 1. de Christo crucifixo.

Secundo loco considerabis, divinum hunc botrum, et eorundem Sanctorum Patrum sententia, in crucis torculari pressum atque expressum fuisse; ut exinde nobis, non modo pretium redemptionis efflueret, sed etiam calix salutaris, præclarus atque inebrians, & sancti amoris ac lætitiæ mustum, redundaret. Nam uti præclare S. Augustinus:

In ps. 55.

*Primus botrus in torculari pressus est Christus. Cum ille botrus in passione expressus est, manavit illud, unde calix inebrians, in passione expressus est, manavit illud, unde calix inebrians, quam præclarus est. Et alio in loco: Calicem salutaris (inquit) & vinum lætitiæ, de illa spiritali uva nobis primum crucis expressit.* Quod etiam prius usurpârat Origenes; dum de

Serm. 100. de semp.

Tract. 35. in Matth.

Serm. cit.

Isai. 63.

Apoc. 19.

potu celesti, quem Christus propinat in Sacramento. loquens: *Est sanguis (ait) uve illius, qua missa in torcular pressoris, protulit potum hunc.* Quibus consonans S. Ambrosius de Sanctorum Martyrum inter tormenta fortitudine agens; ait id esse, *Vinum planè spirituale, de illa uva, qua pro salute omnium pependit in ligno, expressum.*

Nec refert, quòd ipse Redemptor dicatur hoc torcular calcasse: unde etiam vestem habeat aspersam sanguine. Quia sicuti crux ipsa & vitis est, in qua ille pependit, & torcular in quo expressus est: ita ipse simul uva est, & calcator uvæ; quia sponte suâ sese subiecit illi pressuræ. Quemadmodum idem & sacerdos est & victima, in quantum oblatum est quia ipse voluit, & sic semetipsum in ara crucis immolavit.

## §. 2.

*Mira efficacia musti, de Crucifixi pralis exastuantis.*

**D**Emum juvabit considerare sanguinis aut succi illius uvæ potentiam, & præclarum in sanctis animabus effectum: quæ scilicet hoc musto ebrîæ, seu ardenti Christi crucifixi amore correptæ, ita subinde videntur alienatæ sensibus

bus, ut neque jam se ipsas sentiant, neque quæ circa se gerantur intelligant, sed soli Amori suo crucifixo intendant, exultantes in Deo Jesu suo. Rectè quippe Gillebertus

Serm. 19. in  
Cant.

Abbas, is qui S. Bernardi continuavit Cantici Canticorum expositionem: *Musti* (inquit) *præfert amor insigne, quod natiuitatis sua fervore quodam, & velut aiatu lasciviam, excrevit & superfluit.* Quare velut ij, qui sese plusculum invitârunt, & vino nimio incaluère, incussa verbera aut plagas illatas jam non sentiunt; secundùm quod etiam temulentus quidam ita loquens inducitur in Proverbijis Salomonis: *Vulneraverunt me, sed non dolui; traxerunt me, & non sensi:* ita qui musto divini amoris (quod præsertim in crucis torcularibus exæstuat) capti, saucij, atque ab sese abalienati sunt, si quid incommodum, asperum, cruciabile dilecti causâ subeundum occurrerit, id illi quidem perinde suscipiunt & sufferunt, ac si omni malorum sensu carerent, & horum ipsos nulla tangeret offensio.

Prov. 23.

Quod tum quidem in sanctis alijs, tum potissimùm in Martyribus cerni licet: qui illo crucis charitatisq; mero gustato, usque adeò spiritali illâ ebrietate correpti atque occupati fuerunt, ut omnia pro Christo tyrannorum tormenta contemnerent, in illis exultarent, illa neque sentire se dicerent. *Putatis enim fratres mei* (verba sunt S. Augustini)

In ps. 74.

*omnes illos, qui confitendo Christum mori voluerunt, sobrios fuisse? Usq; adeò ebrij erant, ut suos non agnoscerent. Omnes propinqui, qui eos à spe caelestium premiorum terrenis blandimentis avertere moliti sunt, non sunt agniti, non sunt auditi ab ebrijis. Non erant ebrij, quibus mutatum cor erat, quorum mens alienata erat ab hoc saculo? Idemq; alibi: Quo spiri-*

Serm. 185. de  
temp.

*tuali mero calebant Martyres* (inquit) *abijcientes, & post se*

*jaçtantes omnia sæculi blandimenta, ibant ad passionem, obli-*

*viscentes facultates & affectiones, patrimonia & matrimonia*

*sua; negligentes nimirum (ut ibi deinde magis explicat)*

Parvu-

parvulorum pignorum pietatem, parentes vociferantes & mittentes pulverem in capita sua, conjuges avulsis crinibus facies suas dilacerantes. *Sed illi hac omnia* (subdit) *tanquam ebrj non videbant, nec agnoscebant suos.*

Et sanè rem istam hujus sæculi sensu pensando; anno ebrj & musto plenus erat S. Andreas, dum quasi alienatus sensibus, crucem quam homines ita exhorrent, veluti sponsam speciosissimam ac desideratissimam amplexabatur; Anno musto plenus S. Laurentius, dum in ipso positus ardore & horrore supplicij, ludibundus tyranno insultat, atq; (ut nominatim de eo S. Augustinus) *tanquam illo calice ebrj, tormenta non sentit.*

Tract. 27. in  
Joann.

Verùm de his quoque, qui citra martyrium, pro amore Christi hujus vitæ aspera dilexere, idem S. Pater in sermone antea citato ita loquitur: *Hoc itaque musto spirituales anima inebriat & penitus commutat, absentiam delicij, vigiliis dulcibus somnis, paupertatem divitijs anteponunt.* Uti proinde meritò S. Bonaventura in Incendio Amoris, sanctam animæ ebrietatem describens, eam dicat in eo consistere; quòd quis tanto amore diligit DEUM, *ut non solum fastidiat omne solatium terrenum, sed etiam deleatur & querat tormenta pro solatio; & amore illius quem diligit, deleatur in penis, opprobrijs & flagellis.*

Serm. 189.  
cit.

cap. 2.

### §. 3.

*Simili modo nos & botros esse, & in afflictionum torculari premi & calcari debere.*

VERUMTAMEN, uti Salvator noster botrus fuit, quo in passionum torculari presso atque calcato, nobis præclarus calix profluxit, ad robur animæ ac delicias spirituales: ita nos vicissim & botri esse, & adversitatum ac passionum prælo comprimi, & de nobis Christo merum suave, gratiæ pocula scilicet præbere debemus. Sic enim etiam dilectè

S. Au.

S. Augustinus; omnes quidem homines in hac vita, botrorum instar, in torcularibus & tentationum pressuris esse; sed præcipuè electos DEI, de quibus quodam loco ita loquitur: *Sic sunt & homines, quos prædestinavit ante sæcula conformes fieri imaginis Filij sui; qui præcipuè in passione magnus botrus expressus est.* Quem etiam dum alibi ait primum botrum in passione expressum fuisse; apertè indicat, etiam reliquos ejusdem vineæ spiritalis minores botros, eidem prælo subjiciendos, eodem torculari premendos; quod mox expressius ex eodem S. Augustino dicemus. In quam, itidem sententiam S. Cyprianus ad SS. Martyres & Confessores in vinculis distentos scribens, eos hujusmodi oratione solatur: *Vos de Domini vinea pingues racemi, & jam maturi fructibus botri, pressura secularis infestatione calcati, torcular vestrum carcere torquente sentitis; vini vice sanguinem funditis.* Quibus quidem ad id alludi videtur, quòd Christus ipse suis denunciavit discipulis: *In mundo pressuram habebitis;* quod utiq; uvarum proprium est, inter angustias torcularis occupatarum.

Quapropter etiam veteres nonnulli Cantici Canticorum interpretes (& nominatim Honorius apud Delrio) ad illa verba capituli 7. *Statura tua assimilata est palma, & ubera tua botru;* botrorum nomine sanctos Martyres intelligunt, qui veluti botri pressi sunt multis passionibus: adduntque perpulchrè Virginis DEI Matris ubera, eò rectè botris assimilari; quòd non minùs ipsa meruerit fundendo lac de uberibus ad filij sui nutrimentum, quàm SS. Martyres meruerint fundendo pro Christi sanguine suum: ob magnam scilicet charitatem, quâ Virgo beatissima maternum id munus exquebatur. Quicumq; igitur ad vitam illam Evangelicam, hoc est, ad ipsum Christum, pertinemus, non modò nos illius palmites, sed & botros esse existimabimus, eòq; nomine nos tanquam prælo atque pressuræ destinatos; multis

In ps. 83.

Ep. 16.

Joann. 16.

Joann. 15.

multis inquam tentationibus, vexationibus, angustijs peccandos & conculcandos, continuè meminerimus: uti modo magis explicabitur.

## §. 4.

*Commentationis jam proposita fructus nonnulli colliguntur.*

**N**unc verò, mi Lector, ne ab hac quasi vindemia, nullo gustato aut percepto fructu discedas; paucula hæc hilaris patientiæ præcepta, ex hæctenus dictis pro more nostro decerpta, in usus tuos familiares accipe.

*Primum:* Ubi istam persuasionem imberberis animo, nihil causa jam fore, quòd percellaris aut commovearis admodum, si fortè te vexent, affligant ac conculcent homines, aut si varijs casibus tentationibusve presseris: quasi novi peregrinum aut insolens quiddam tibi contingat. Hoc enim jam, si non expetere, at saltem expectare debueras. Quippe qui ad hoc Christianus factus sis, & ad hoc præsertim divino dedicatus obsequio, ut ipsius Christi primi ac magni boni exemplo, instar dulcis uvæ, varijs pressuris vexeris, atque in liquorem Domino suavem vertaris.

2. Pet. 4.

Qua de re audi egregiè philosophantem S. Augustinè, dum scilicet in psalmum 55. scribens, & in primis illius verbis: *Miserere mei DEUS, quoniam conculcavit me homo;* vocem hominis Christiani in torculari positi, & in ipsa pressura aut calcatura ingemiscens agnoscens: *Noli timere (inquit) quia conculcavit te homo. Vinum habeto: ut a saltu et ut calceris.* Et post pauca: *si putas te non habere tribulationem, nondum cepisti esse Christianus. Ingressus es torcular præpara te ad pressuram, &c.* Atque mox eundem animo ore factum conspiciens, atque audiens jam cantantem: *Non timebo quid faciat mihi homo: Tu paulò ante dixisti (inquit)*

fit) conculcavit me, tribulavit me. Nihil faciet, cum ista faciat? Verum causam hujus commutationis statim proferens: Respexit (inquit) ad vinum, quod manat de calcaturis. Et respondit: planè conculcavit, planè tribulavit. Sed quid mihi faciet! Uva eram, vinum ero. Hæc scitè S. Augustinus.

Alterum: Quin potius ex hoc ipso debes magnam solatij causam & argumentum capere; quod hac ratione dignus habearis, qui pars sis cœlestis vindemiæ, & sive in calcatorium, sive in torcular premendus inferaris. Sicut enim (quod jam ex S. Cypriano vidimus) non uvæ acerbæ & immaturæ, sed pingues racemi & maturis fructibus botri, pressuræ & vino conficiendo destinantur: ita si quis calcetur, atque prematur in prælo crucis & torculari tribulationum, atque in his constans animosusq; perseveret; hinc meritò argumentum sumas virtutis maturæ, & calore divino charitatis, ad quandam cœlestis saporis suavitatem, excoctæ. Hinc enim illud est Raphaëlis Angeli ad S. Tobiam: *Quia* Tob. 12. *acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* quasi diceret in rem præsentem: Quia jam maturus & DEO dulcis botrus eras, oportuit te premi in tentationum torculari.

Tertium: Hinc autem magna tibi existet, non solatij modò, verum etiam sanctæ hilaritatis atque exultationis in quibusvis adversis occasio; id scilicet tecum reputanti: incommoda omnia, adversa, acerba hujus sæculi, aliud non esse, nisi uvæ DEO dignæ pressuram: quæ ex pressura liquor defluat ori divino gratissimus, & (Scripturæ phrasi) lætificans DEUM & homines. Etenim quod mellifluus dixit Bernardus: lacrymas poenitentium vinum esse & delicias Angelorum; id nos eousq; possumus extendere: ut sive Martyrum sanguinem, sive Confessorum sanctos sudores ac passiones, vinum esse dicamus ipsi divinitati jucundissimum. Ad quod proinde degustandum dilectum suum blandè invitat S. Ecclesia: *Dabo tibi (inquiens) poculum ex vino condito, & mu-* Cant. 8. *stum*

E e e e

*Greg. ibid.* *Martyrum*, (qui, teste Magno Gregorio, per mala punica, signantur) aliorumq; Sanctorum tribulationibus & paffionibus, expreffum. *Omnis enim patientia dulcis est DEO*; ut, poftea rurfum cum Auguftino dicemus.

Quemadmodum igitur generofus Martyr S. Ignatius, eò fe folabatur in tormentis, quòd fe Chrifti frumentum, reputaret, beftiarum dentibus utique commolendum, ut panis delicatus & DEI menfa dignus evaderet: ita ad malorum tuorum fenfum deliniendum juvabit, te ipfum ut Chrifti botrum afpicere, quem eò calcari atque comprimi oporteat, ut potus de te exprimaturo divino palato acceptus. Ut enim huc denique transferam, quod in non diffimili argu-  
*Serm. 18. in* *mento S. Ambrofius: Quanta Domini gutta* (inquit) *ut*  
*ps. 118.* *nos in fuo ore conftituat, & quasdam meritorum noftro-*  
*epuletur dapes, ac, fi mereamur, devoret, fi noftri cibi fua-*  
*tatibus deleeteretur! Beatus, quem Sapientia devoraverit; &*  
*quæ fequuntur.*

Ad extremum libet hoc loco in memoriam revocare, noftre Societatis hominibus, paternum illud B. P. Francifci Borgiæ monitum in fua quadam epiftola: ubi fimilem figuram ufurpans, cum Societatem noftream vineæ comparaffet, extendenti (ut in pfalmo dicitur) palmites fuos ufque ad mare; illudq; dixiffet, ut vinum ex ea copiofum effluat, oportere uvas (quæ nos fumus) in torcular injici atque calcari; hæc deinde fubiicit: *Hoc forfan nobis, fratres chariffimi, deceft, quòd non guftemus, neque cum voluptatis fenfu optemus, calcari, premi, contemni, ut optate confolationis & exultationis vinum profertamus.* Tum ad Chrifti exemplum provocans: *Meminerimus* (fubiicit) *Chriftum dixiffe: Torcular calcavi folus. Quis jam calcari recufabit, cum videat in torculari Chriftum premi?* Hæc & plura ibidem.

## CAPVT XXIII.

*Homines justos, per passionum tolerantiam,  
in quadam Christi crucifixi simulacra,  
exacte elaborari.*

### §. I.

*Ejus considerationis fundamentum ac ratio pro-  
ponitur.*

Considerationi huic ansam videntur præbere non se-  
mel laudata Apostoli verba ad Romanos 8. capite; ubi variè exhortans fideles ad passionum tolerantiam, cum illud inter cætera dixisset: *Diligentibus DEUM, omnia* (hoc est, afflictiones omnes, de quibus propriè erat sermo) *cooperantur in bonum*; ejus velut quandam rationem adferre volens: *Nam quos præsciuit, inquit* (sive quos specialiter prædilexit DEUS) *hos & prædestinavit, conformes fieri imaginis filij sui*: ad hoc scilicet, ut electi omnes (prout etiam antè diximus) ad Filij DEI similitudinem conformentur; primum in laborum dolorumq; patientia, ac deinde in regno ac gloria cælesti. Habemus igitur ex Apostoli mente JESUM afflictum atque despectum, instar esse exemplaris ac prototypi, cui nos in hac vita oporteat, tanquam exempla atque eclypa, per passionum experientiam ac tolerantiam, configurari. Et quoniam passionum nomen magis maleum scalprumve, quàm pictoris colores aut penicillum subijcit animo; rectè ac consequenter hic ponimus, nos imaginis Filij DEI similitudinem, non tam ut coloribus expressas imagines, quàm ut quædam opere statuario expressa sigilla representare debere.

Sanè & ipse Archetypus noster DEI Filius, qui in forma DEI est figura, character, & velut exsculpta imago substan-

*Hebr. 1.*

E e e z

stan-

stantiæ ejus; etiam in forma servi, instar simulacri à Deo Patre figurati aspiciendus est. Quod præsertim passionis tempore cognoscere licuit; quando grandibus & crebris tormentorum ictibus ab artifice Deo percussus, & tantum non contritus est (*voluit enim Dominus conterere eum in infirmitate*) dum exactè denique transfiguraretur in virum dolorum, ille existeret divinæ artis princeps labor, & opus, si quod unquam existit accuratissimum, absolutissimum, spectatissimum, nimirum Deus crucifixus. In cujus operis perfectionem olim se studium adhibiturum per Zachariam appromiserat, dicens: *Ecce ego calabo sculpturam ejus; vel* (ut Aquila vertit) *ego sculpam aperturam ejus; lapidis nimirum, qui Prophetae objectus fuerat, & quo, ex communi interpretum sententia, ipse Christus representabatur. Ex sensu* (inquit S. Hieronymus) *istum lapidem clavus crucis, lancea militis faciam vulnerari.* Itaque mysticus ille lapis, multiplici studio & arte variâ, attritus est flagris, inscriptus vibicibus, confixus spinis, clavis perfossus, compunctus lanceâ; quò in eam evaderet, quam artifex Deus mente designaverat imaginem, & in simulachrum Archetypum, quod nobis ad imitandum proponeret, & cui nos, quam proxime possemus, assimilari & conformari vellet.

## §. 2.

*Considerationis exposita, in acerbis rebus, utilitas.*

Quod igitur ex his consequens est: Dei servus, dum aliqua corporis animive aegritudine premitur, ita subinde secum statuet, atque (ut arbitror) non sine operæ pretio. Esse se in manu divini artificis, instar rudis & informis materiæ, in Christi patientis simulacrum exalpendæ ac figurandæ; aut sanè veluti inchoatam jam ipsius Crucifixi imaginem, cui (prout quisque magis minusve perfectus est) adhuc multum operæ atque laboris adhibendum sit, dum ex digni-

dignitate elaboretur ad sui exemplaris similitudinem ( hoc est, ut alibi loquitur Sanctus Apostolus) *donec formetur Christus in nobis.* Ipsum porro sculptorem alium non esse quam Amorem divinum, præstantem illum in omni genere artificem; qui afflictionum malleo & scalpro dolorum, nos tundat, scalpat, radat, conformet, expoliat; idque eò accuratiùs impensiusve, quò quemq; magis ea in parte perficere, sive ad majorem divini exempli similitudinem adducere, instituit. Sic quippe etiam S. Papa Gregorius, de supra à nobis memorata Sancta Romula, sed alio in loco agens, apertè declarat, Deum instar summi opificis, afflictionum ceu scalprorum ictibus, eos etiam, qui perfecti videntur, tundere, ut ad imaginis divinæ similitudinem magis magisque perficiantur. Verba ejus sunt ista: *Sed quia plerumque, hi quos jam homines perfectos aestimant, adhuc in oculis summi Opificis aliquid imperfectionis habent; sicut sæpe imperitii homines nondum perfectè sculptæ sigilla conspiciamus, & jam quasi perfectè laudamus, quæ tamen adhuc artifex considerat & limat, laudari jam audit, & tamen ea tundere meliorando non desinit: hæc quam prædiximus Romula, ea, quam græco vocabulo medici paralyfin vocant, molestiâ corporali percussa est, &c.* Vides hic supremum Opificem, homines velut sigilla nondum perfectè sculpta, morbis & afflictionibus velut tusionibus ac percussionibus limare, donec eos perfectè conformet, atque (quemadmodum dicere cœpimus) ad exactam illam viri dolorum, filij inquam sui, à se percussus & humiliatus, similitudinem adducat. Hinc igitur ajo, posse nostrum quemlibet, dum vel maximè rebus adversis urgetur, consolandi sui non leve argumentum sumere, si tacitè secum cogitatione ita disputet: *Ægritudo ista, hic morbus, hæc vexatio, ictus est mallei divini Amoris, volentis me sensim effingere & conformare ad imaginem Domini mei crucifixi.* Et heu! quantis adhuc tusionibus

Gal. 4.

L. 4. dialog.

c. 15.

bus & sculpturis opus est, si eò denique adducendus sum, ut etiam rudis tanti exemplaris effigies, atque imperfectum simulacrum existam! At nimirum hoc ipsum tantum est, ut vel eà causâ, nihil quamlibet durum atque acerbum sit refugiendum. Hic igitur tunde, Deus, hic seca. Configuremur nunc imagini viri dolorum, ut in eandem cum illo imaginem postea transformemur in gloria.

Ex his porrò, quæ per plura capita, quadam argumenti connexionem, disputata sunt, facile erit animadvertere, in vox una Prophetæ Evangelici, quâ Christum à Deo percussum dixit, quàm variam nobis piæ commentationis sylvam suggerat, ad exaggeratæ inter quævis adversa patientiæ, ex Domini nostri imitatione, informationem. Quippe cum secundum istud exemplar, nos quoque (uti dicebamus) percuti, tundi, incidi oporteat; sive ut lapides, celestis destinatos ædificio; sive ut adamantes, divinæ coronæ inferendos; sive ut nummos, futuros æternitatis pretium; sive ut botros, dulcem Deo laticem propinatuos; sive ut marmora, in Crucifixi figuranda effigiem; sive (quod extremum proximo capiti reservavimus) ut citharas quasdam, ipso percussu, sanequam suavem Deoq; jucundam harmoniam elaboraturas.

## CAPUT XXIV.

*Christianam in adversis patientiam, harmoniam esse divinis auribus jucundissimam.*

§. I.

*Christus crucifixus, cithara Patris.*

**A**tque ut susceptæ commentationi id tanquam fundamentum præstruam: video sanctis Doctoribus familiaris

harem atque jucundam eam cogitationem fuisse, ut vel Christum in cruce distentum, vel ipsam crucem cum Christo in ea extenso, veluti divinam quandam citharam aspicerent, cujus sonus & Deum oblectet, & malignos spiritus fuget, & homines ad ipsius amorem imitationemque convertat.

Inprimis enim S. Augustinus in illa verba psalmsi 56. *Exurge psalterium & cithara*, ait: carnem Christi humana patientem, citharam esse; cujus suavem harmoniam insonuisse praesertim, dum in passione percuteretur, satis indicat, dum subdit: *Sonet cithara, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur.* Expressius autem B. Prosper: *Si (inquit) Christi Domini citharam respicias personantem; quam ligno crucis, carnis membrorumque, suorum chordis aptatam, plectro dum tangit sancti Spiritus, ipsum quoque diabolum fugavit de cordibus inimicorum, pro quibus in cruce suavem illum sonum protulit, dicens: Pater ignosce illis.* Quam etiam allegoriae rationem in Davidica cithara, figuram crucis Christi per lignum & chordarum extensionem (ut ipse ait) mystice gerente, observat Hugo de S. Victore: itemque Thaulerius, in explicatione Dominicae passionis, his verbis: *Vide, Pater amantissime, Filium tuum totum in crucis cithara extensum, cunctisque membris suis te benedicentem. Jam plane fidelis David citharam corporis sui maxime intendit, suavissimam tibi edens melodiam, & gratissimam, qua unquam tibi cantata sit, concinens cantionem; Pater (inquiens) ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Postremo & expresse admodum S. Bernardus libro de Passione Domini cap: 8. ubi animam, Christi sponsam, alloquens, eundem citharae heptachordae comparat in haec verba: *Cithara (inquit) tibi factus est Sponsus; cruce habente formam ligni, corpore autem vicem supplente chordarum, per ligni planitiem extensarum. Nam nisi ligno affigeretur, nequaquam verborum sonum ederet tanquam citharizans, quibus amplius delectareris. Septem chor-*

das

De prom. p.  
2. c. 25.

Alleg. l. 6. c.  
2.

cap. 16.

*das* (subdit) *habet citharam: & quæ sequuntur.* Pergit enim pluribus per totidem capita, septem verba à Christo in cruce prolata, tanquam septem illius divinæ citharæ chordas considerare. Horum igitur Sanctorum mente ac disciplinâ informatus; imprimis inter dolorum tuorum morsus ac sensus acerrimos, ad Christi in cruce suffixi, miserabilem effigiem (quæ similes in usus penes te sit) per intervalla refer oculos, & modulorum ejus citharæ divinâ suavitatē, malorum tuorum acerbitatem aut fallere, aut mitigare consuece. Intuere attento lumine concinnum illud divinitatis organum; ejus membra omnia articulósque singulor pensulatiùs contemplare. Aspice, ut illius chordæ, hoc est, sanctissimi ejus corporis nervi, clavorum ope, apte extenti distentiq; sint, & ad perfectum concentum harmoniámque compositi. Attende perfossi lateris apertum vulnus quod rosæ instar, eruditæ manûs artificio elaboratæ (prout in testudine assolet); tanquam organi medium obtinet, ad gratam quandam melodiæ, eo repercussu, temperationem. Verùm quàm peritus tangendi artifex æternus Pater, qui dexteræ suæ digito, id est Spiritu Sancto, divini hujus instrumenti nervos percutit, & fides sollicitat, uti & illâ felicissimâ harmoniâ, filij inquam sui, tot inter cruce & acerbitates, compositissimâ suavissimâque patientiâ, reliquarúmque ejus virtutum contemperazione & quasi concentu, oblectet; animósque nostros divinatorum illorum modorum suavitare captos trahat ad sese, & imitandi (quoad ejus fieri poterit) cupiditate incendat.

Porro divinum melos, quod in crucis ligno dissonus & percussus à Deo Christus edidit; vel ille est virtutum in Christo tanquam concentus, & inter tormenta animi moderatio, & (ut ita dicam) modulatissima æquabilitas; vel, quod S. Bernardo placere vidimus, septem extremæ Christi voces; quas veluti septem vocum discrimina, totidem citharæ

tharæ chordis respondentia, aut (ut ipse ad B. Mechtildem *L. 3. c. 1.* Christus loquitur) ut septem miræ suavitatis cantica, ad crucis citharam in amoris thalamo cecinerit; & quibus animo comprehensis atque retentis, germanos Crucifixi amatores, ærumnas suas atque dolores consolari voluerit.

Hoc igitur nunc age; & quando, ut inquis, tui te dolores intolerabiliter cruciant; omissis vanis avocamentis, ad hujus citharæ suavitatem aure cordis admotâ, hinc sume certa patientiæ Christianæ magisteria, hinc malis tuis non inutile delinimentum, inde molestiarum atque dolorum allevamentum require. Perspicias tandem, mihi crede, quid distent humanis divina solatia, neque ullum esse tantum dolorem, cui non similibus piæ mentis exercitijs, ubi ijs paulum assueveris, medicinam aliquam atque levamen invenire possis. Hoc primum.

## §. 2.

Nos etiam, ceu *DEI* citharas, & variè tangi, & *DEO* dulcem de nobis melodiam reddere debere.

**D**Ein ad uberius istius piæ cogitationis operæ pretium, illud insuper tecum statues: te quoque dum aliquid pateris, Salvatoris exemplo, instar divinæ citharæ esse debere. Sic enim rursus, sed alio in loco de nobis ipsis sermonem faciens S. Augustinus: *Cum aliquid (inquit) patimur In ps. 42. tribulationum, tentationum, scandalorum in terra, cithara est.* Cui itidem consonans Hugo de S. Victore, Annotationum in psalmos cap: 65. cui titulus est, *De citham spirituali;* ejusmodi citharam mysticè describens, ait: *Chordam esse hominis justî corpus, quod maceratur & tenditur, inter pœnam carnis, & dolorem cordis: clavos esse timorem DEI, ejusq; amorem: plectrum autem, gr̃tiam.* Denique sicuti chorda siccat & tenditur, ut sonitum reddat; ita hominis carnem oportere, sicari per abstinentiam, tendi per patientiam.

F f f f

Addere

Addere potuit, non tantum intendi, sed etiam percuti debere, ut quasitam reddat celestis concentus suavitatem. Nam veluti musica instrumenta, etsi fabrè-facta sint, atque ex artis ratione ad harmoniam composita, at tamen *non percussa silent*, tangiq; volunt, si qua ex illis expectetur oblectatio: ita quisquis sese ut DEI citharam aspexerit, nihil mirabitur sibi intendi chordas, seq; variè à DEO tentari atque pulsari; quippe cum ita necesse sit, ut concentus edatur, DEO dignus, atque hominis patientiâ divinus animus, tanquam melodiâ sibi acceptissimâ, oblectetur.

At si justus quilibet in tribulatione positus, DEI cithara est: quanto istud magis de sanctis Martyribus dicemus? Quibus equidem cum artus contemplor in æqualeo distendi, emoveri vertebrae, contendi nervos, ferreis unguibus ac pectinibus membra pulsari; eosdemq; inter hæc cruciamenta, non flebilem questum, non gemitum graviores edere, neque omnino vocem aliam, nisi *DEO gratias redere*: totidem ego divinas citharas mihi videre & audire videor, cælum omne complentes suavitate incredibili, dulcique patientiæ miraculo DEUM ipsum ad se conversum attentumq; detinentes: *Omnia enim patientia dulcis est DEO*; inquit hanc ipsam in rem S. Augustinus loco citato.

In ps. 42.

Quid de S. Job dicam? quem mihi vel ipse Satanas ut

Job 2.

DEI citharam spectasse videtur, cum diceret: *Mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem ejus; & tunc videbis, quidm faciem benedicat tibi.* Tange, inquebat, istius nervos, chordas hujus citharæ validius paulò pertenta: & peream, nisi disiliat infelix lyra, aut pro laudis cantico, in voces amaras, & tibi injucundos contumeliæ sonos erumpat. At verò quid contrà respondet præstantissima cithara, & ad ipsam DEI tangentis manum bellè attemperata? *Sicut Domino placuit, ita factum est: sic nomen Domini benedictissimum.* O præclaram illam harmoniam, & divinis auribus jucundissimam.

Job 1.

diffimum concentum; voluntatis humanæ cum divinæ, etiam extremis in malis, æquabilem atque constantem confessionem! Atque ille non extremis tantum DEI digitis tentatus, sed totâ ac plenâ manu pulsatus (*manus Domini, inquit, tetigit me*) tamen, sicut ait B. Gregorius, *voces patientis in DEI laudem percussus reddit; & venturo olim in carne Salvatori, patientiâ prophetante præludit.* Ut enim rursum de eo S. Gregorius: *Mediatoris typum eò verius tenuit, quò passionem illius, non loquendo tantummodo, sed etiam patiendò, prophetavit.* Ille igitur nullo antecedente magisterio à Deo percussus, omnes numeros ac modos implet cœlestis musicæ; & nondum auditâ principi illi citharæ, quæ in crucis ligno tam dulcè sonuit, obsecundante consensu, & quasi anticipato repercussu admodulatur. Ut vel hoc exemplo erubescat nostra inertia; qui etiam nobis præcurrente DEI Filio, etiam summo tantum DEI pollice præstricti, aut dissonum quiddam atque absurdum responsamus, aut propositæ nobis ad imitandum divinæ citharæ vix extremos modulos, nec nisi obscurè ac malignè reddimus.

Hic obiter adverto S. Augustinum, de eadem S. Job patientiâ loquentem, alterius organi similitudine usum, non ab simili sensu. Considerat quippe sanctas animas, tanquàm tubas ductiles, quæ de ipso malleo (scilicet diabolo) in manu DEI posito, id est in potestate DEI, tunduntur, ut resonent laudes DEI. Atque, *Tuba ductilis (inquit) erat Job, quando repente percussus tantis damnis & orbitate filiorum, tunc sine illâ tantæ tribulationis factus tuba ductilis, sonuit: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Quomodo sonuit, quàm suavem sonum dedit, illa ductilis tuba!* Denique cum illam alteram ejusdem organi non minùs præclaram vocem commemorâset, quâ uxori insultanti respondit: *Si bona suscepimus de manu DEI, mala quare non suscipiamus? O sonum fortem! exclamat: o sonum dulcem! Quem non dormientem excitet sonus iste?* Hæc S. Augustinus. Ffffz Sed

Job 19.  
L. 2. Mor. c.

L. 23. Mor.  
c. 1.

In ps. 97,  
& serm. 222.  
de temp.

Sed audire hic juvat etiam B. Ambrosium, qui ad roces psalmi 80. alludens, & citharam nos, & psalterium, & tympanum sumere præcipit, ut omnigeno eorum organorum apparatu, suavis & ipsi Deo jucunda de nobis existat, variarum virtutum symphonia. Verba ejus libro 6. in Lu-

L. 6. in Luc.  
c. 7.

cam sunt ista: *Sume & tu citharam, ut pulsata spiritus pleura interiorum chorda venarum, boni operis sonum reddat. Sume, & psalterium, ut harmonia dictorum factorumq; tuorum concinat. Sume & tympanum, ut organum, tui corporis spiritus moduletur interior, factisq; operantibus dulcis, morum tuorum suavitas exprimat.* Deniq; & S. Petrus Chrysologus sermone quodam poenitentem Magdalenam in citharam, fistulam, & organi musici omne genus convertit, de ea disse-

Serm. 93.

rens in hunc modum: *Ad delicias deitatis totas, totam pulsas cordis sui & corporis harmoniam; organi planctus dat clamorem; citharam per suspiria longa modulatur.* Omitto reliqua.

### §. 3.

*De hilari malorum patientia, varia ex dictis præceptione.*

**A**D extremum, ut ex hac quam exequimur cogitatione in usus nostros adhibita, fructum proprium capiamus. Dum tanget nos Deus, dum percutiet, dum tentatione afflictionēve aliquā exercebit, ita apud nos subinde ratiocinabimur. *Primò*: Tentationes istæ, vexationes, dolores, ictus sunt amantis, blandientis ac colludentis Dei. Lusus sunt supremi Citharædi oblectantis se in opere suo: & grandis favoris instar habendum est, quod ea majestas de nobis sumat suimet oblectandi materiam; & non malis nostris illa quidem, sed nostrâ malorum patientiâ, delectetur.

*Secundò*: Sed neque mirabimur, si has potius quam illas in nobis fides percenteret; si ad hanc potius quam illam cantionum nos exerceat. Sibi enim canit, & non nobis, sapientissimus & amantissimus artifex. Utatur ille organo suo

suo ex animi sui sententia: intendat, ut volet, citharæ suæ nervos, eamq; ad modos sibi placitos componat: quamcunque de nobis melodiam, quemcunque sonum, acutum, gravem, plenum, concisum, concitatum, remissum, vibrantem, extensum deponat; quacunque nos, inquam, fortunæ sorte, quocunque malorum genere ac formâ exerceat: nostrum erit jucundè ac promptè in melos quodcunque figurari, in omnem nos harmoniæ formam atq; modulos vertere: tantùm ut divinæ ipsius voluptati (quando ea ipsius voluntas est ac dignatio) serviamus; & (ut Augustini antea relati phrasim imiter) ut placeamus auribus ejus, ut delectemur suavitate ejus.

*Tertiò:* Proinde si Deus tanquam organum sibi placitum (ut in eadem allegoria persistam) nos sæpiùs sumet in manus, si tentabit crebriùs, si vel repetitis & congeminitis ictibus, vel validiore forsân impetu increpabit animosius: eò nos ampliùs ei probari aut magis diligi interpretabimur.

*Habet enim amor plagas suas* (inquit B. Ambrosius) *quæ dulciores sunt, cum amarior inferuntur.* Conc. 6. pro var. a. 2.

Tunc igitur præsertim exosculemur tangentis manum; eiq; gratâ & ingenuâ tanquam collusionem consentire, atque, ut ita dicam, magis sonorâ patientiâ respondere studeamus.

*Quartò:* Melodia ex gravibus acutisq; constat inter se ritè temperatis. Quocirca si nobis dolore oppressum corpus, aut mœrore dejectus animus grave quiddam ac triste sonent; tum verò acutum & excitatum sonum edat, mentis Deo subjctæ hilaris ac generosa patientia; & ita existet præclara quædam & divino cordi jucundissima modulatio.

Rectè enim hanc in partem præcipit quidam amicorum Dei à Blosio memoratus: *Quando aliquis afflictionem vel dolorem sentiens, DEO se humiliter perseverantèrg, resignat, hujusmodi resignatio est ante ipsum DEUM citharâ dulcisona, in cujus chordis Spiritus sanctus suavissimè canens, cælestis Patris aures occulto*

oculto quodam internō, modulamine mirificè demulcet. In hac cithara (subdit) crassiores fides, id est, exterioris bonorum vires (quæ undique dolore occupantur) demissum lugubremque sonum edunt: at fides exiliores, nempe vires interioris boni (quæ plenâ devotione in spontanea patientiâ, resignatione, persistunt) acutum jucundumque sonum edunt. Sic ibi. *App̃d. Mō. spir.* demq; spectat quod idem Blossius refert, Christum Dominum dixisse de S. Gertrude: *Ipsa est cæli civibus dulcisona harmonia, quam efficiunt omnes illa ab ipsa tam æquanimitè perlate adversitates.*

*Postremò:* Ut hoc quidquid est præcepti in breve colligam: cùm tibi molesta aliqua vexatio inciderit, cùm molestia animum, aut artus dolor inceserit: memento te Dei citharam esse; & non tam res ipsas, quàm tangentis manus aspiciens, dic tecum: Percutit te amantissimus Pater, ut sese patientiæ tuæ suavitate oblectet. Ad ejus igitur voluntatem organi tui fides accommoda, & aures ipsius læti voluptate demulce. Noli refugere tangentis manus: cithara factus es, ut pulseris. Confitere Deo in cithara: lauda illum in tribulatione. *Tangite citharam,* inquit S. Augustinus, *tolerando passiones. Si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti.*

## CAPUT XXV.

*Amicorum Christi adversis in rebus patientiam Christo in pœnis suis solarium aliquod præbuisse.*

**N**Equè in postremis hæc habenda est, quæ extremo loco à me ponitur, consideratio: quippe quæ non parvam vim habeat, ad eos commovendos, qui Christum amant.

ut, cum gentium Apostolo, placeant sibi in infirmitatibus suis & angustijs pro Christo. Ea autem est hujusmodi.

Si Christo flagellis subjecto, aut spinis coronato, aut in cruce pendenti, partem aliquam peenarum demere, & in te transferre potuisses: si crudeliter sitienti suavem aliquem potum præbere; si dum laceris humeris crucem bajulatus, extremum ligni contingere, & ejus ponderis acerbiter non nihil levare aut mitigare, licuisset: quo animi cœlesti gaudio delibuti, sensu, quâ devotione & alacritate id faceres? Atqui id nunc quoque, non piâ duntaxat meditatione, aut propensæ voluntatis desiderio; sed quadantenus etiam re ipsâ tibi facere concessum est. Quod non adeo tibi mirum accidet, si inprimis tecum reputaveris: quidquid nunc acerbiter, aut Christi amore ultrò suscipis, aut aliunde illatum ex ejus imitatione patienter toleras; id omne benigno Salvatori, inter cruciamenta sua, perinde ac si res in præsentia gererentur, sigillatim ob mentis oculos positum atque obversatum fuisse. Ergo etiam tum patientiâ tuâ delectabatur, oblectabant illum mansuetudo tua in perferendis injurijs, in voluntarijs pœnis suscipiendis alacritas; attendebat pios tuos gemitus, & quæcumq; tibi aliquando præ affectûs teneritudine, in commeditandis ejus doloribus, lacrymæ ex oculis stillârunt, eas ponebat in conspectu suo. Quibus quidem tuæ adversûs illum pietatis testimonibus, dubitandum non videtur (quantùm est sanè ex rei natura) præsertim ejus cruciatuum acerbiter non nihil levatam ac mitigatam fuisse.

Quemadmodum enim præcepta animo futurorum hominum vecordia, qui nullo tanti sanguinis, tam largiter ac prodigè pro se fusi, respectu habito, peccata peccatis cumulari erant, & DEI Filium quodammodo sibi met ipsis crucifixuri, non exiguum momentum habuit ad interiorem ipsius crucem exaggerandam & aggravandam: atque,

que, ut communis est Doctorum sensus, ea res inprimis, Salvatoris oculis objecta in horto Gethsemani, illius alibi vulneravit animum, & mortiferos illos angores sudoremque sanguineum prolicuit; quod nempe tam paucis intelligeret, dolores suos acerbissimos pretiumque fusi divini sanguinis, ad salutem usquequaque profuturum: prout etiam fertur aliquando S. Catharinæ Senensi revelasse: ita è diverso dicere possumus; præsumptos animo electorum suorum, sanctos labores, piâsq; compassionis lacrymas, aut ejus amore libenter exhaustos cruciatus, ipsi Salvatori inter tormenta non mediocri fuisse solatio: cum illum utiq; sibi prædulcem electorum fasciculum, in ea hora, ut cum maxime, ardentissimæ charitatis ulnis arctè stringeret, cordiq; suo apprimeret, tanquam præsentis passionis suæ fructum optatissimum, sobolem sudorum & lacrymarum, & filios doloris sui.

*cap. 18.* Quem etiam in modum Joannes Thaulerus in explicatione Passionis Domini de Christi in cruce siti disputans: *Sandè* (inquit) *quidquid purè propter DEUM vel agimus vel patimur, quamlibet exiguum id sit, Christo instar dulcis cujusdam potionis guttum & sapidum est, ejusq; sitim refrigerat. Et ipse in cruce positus compassionem omnem, mastritiam, devotionem, gemitus & lacrymas in passionis ejus meditatione transcendas: quidquid persecutionum, angustiarum, afflictionum pro ejus laude & amore tolerabitur; omnem penitentiarum rigorem, jejunia, preces, &c. cuncta hæc Dominus JESUS Sibi quodam modo hausit, atque cum ingenti siti absorbit.*

*3. 4. c. 15.* Quò itidem facit, quod ipse Salvator B. Gertrudi (cum veluti recens flagellatus ei apparuisset) disertè testatus est: cum quis passionem suam mente pertractans, devoto corde per amorem compungitur, itaque orat pro peccatoribus, pium illum affectum esse instar emplastri seu unguenti, quo suus ille dolor leniatur.

Ergo ut hinc quoq; patientiæ tuæ vigorem excuscites;

cum te tristitia, angor, ærumna affixerit, inter ipsos dolores tuos, ad Christum Dominum, seu inter flagella gementem, seu crucis suæ oppressum pondere, seu in alia quavis passionis suæ parte constitutum, pios refer oculos, eumque contemplare in pœnis suis quodammodo ad te blandè conversum, & velut expectantem, ut hilari quâdam patientiâ ei te socium confortemq; dolorum præbeas, & quasi pœnarum ipsius aliquâ in te parte susceptâ, eum (quantum in te est) solari ac sublevare contendas: non quòd pœnas suas ulla ex parte levare expetat (quas augeat potius ardore patiendi incredibili) sed quòd tua ei patientia dulcis sit, delectetq; tuum ei placendi ac serviendi desiderium, gratumq; animum magni solatij ac levamenti loco habeat. *Sustinet enim adhuc* (inquit ista confirmans S. Bernardus) *& diligenter considerat, si quis sit qui simul contristetur; si quem inveniat, qui sanguinis rivus abstergat, & de cruce depositum, mundâ sindone non panni, sed cordis involvat.* *De Pass. Deter. c. 4.*

Et simili quadam cogitatione (ut hoc per occasionem obiter attexam) stimulare te potes, ad proximi tui afflicti ærumnas & angustias, quâ poteris ope, leniendas: non ea tantum ratione, quòd ij vivæ sint Christi patientis imagines, & illis impensum solatium, tanquam sibi exhibitum reputet; veluti supra demonstravimus: sed eò præsertim, quòd proximi nostri ærumnas languoresq; levando, ex parte demamus subtrahamúsq; re ipsâ Salvatori argumenta illius tristitiæ, quâ sub tempus passionis suæ anima ejus ad mortem usq; afflicta est. Si nempe verum est, quod expressè tradit B. Angela de Fulginio, Joannes Thaulerus loco citato, & Doctores alij: Christum in passione sua, omnes dolores atque angores nostros in se suscepisse, & quodammodo expertum esse; secundum illud Isaïa: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Quo modo (ut ad eum locum testatur Gaspar Sanctius noster) *quidam è Societate no-*

Gggg

fra

fra vir eximia Religionis & sanctitatis, eâ consideratione aducebatur, ut agros inviseret, & quocunque posset modo, eorum angores & molestiam levaret; quod nempe crederet dolores illos atque languores, aliquod molestia & doloris incrementum passionis tempore Christo addidisse.

## CAPVT XXVI.

Concluditur istæ Christianæ patientiæ tractatio.

**E**RGO ut tractatus prolixioris (tametsi ad usum vitæ mortalis oppidò necessarij) aliquando finem inveniamus, placet inde, unde exorsus sumus, argumenti itidem elausulam petere; & repetitis Apostoli verbis adhortari nosmet ipsos: ut deponentes omne pondus, per patientiam curramus, ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem JESUM. Quippe qui & ducem se nobis & magistrum, & perfectum exemplar tolerantiaë omnibus exhibuerit, de illo dicente S. Martyre Cypriano: *Usq; ad finem perseveranter ac jugiter tolerantur omnia, ut consummur in Christo* (utique & in nobis ejus exemplo) *plena & perfecta.*

*Qui proinde alibi ad Christi ipsius affectationem imitationemve nos provocans: Sequitur autem Christum* (inquit) *qui præceptis ejus insistit, qui per magisterij ejus viam graditur, qui vestigia ejus atque itinera sectatur, quia, quod Christus & fecit & docuit, imitatur; secundum quod Petrus quoque hortatur & monet, dicens: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Perinde atque si perfecta Christi imitatio in patientiæ disciplina consisteret, & quam bonum Christi specialiter Cyprianus appellat, eam Christus aut solam, aut præ cæteris studijs, à sectæ suæ alumnis deposceret. Ad quam singulariter exhor-

Heb. 12.

L. de pat.

L. de zelo & patientia. Lib.

i. Pet. 2.

L. de pat.

exhortans etiam Tertullianus: *Rependamus (inquit) illi patientiam, quam pro nobis ipse dependit.* De pat. c. 16.

Quamquam & eodem recidet; si universam Crucifixi disciplinam, dicamus in amore forti, hilariq; patientiâ sitâ esse: quando neq; patientia Christiana absque amore casto diuturna aut perfecta esse potest; neque sincerus amor, absque ad verforum tolerantia consistere: in hunc sensum dicente S. Chrysostomo: *Quis est labor absolutè diligere? nullus labor.* Germanè autem *Sincerè diligere, multus labor.* Orat. 1. in 1. Theff. 1.

Atque hanc duplicem tanquam paginam nobis exhibet Liber ille, ante oculos nostros præscriptus & expansus, JESVS crucifixus; Liber scriptus intus & foris, intus amore, foris dolore: in quem proinde admonemur assiduè inspicere disciplinæ gratiâ, ut nempe exinde duo illa potissima Christianæ Sapientiæ principia, amorem, inquam, fortem, & dulcem Deo patientiam hauriamus. Rectè quippe Salmeron noster, de libri istius (Christi nimirum crucifixi) titulo disputans: *Hic sit (inquit) nostrum Enchiridium, Isagoge ad sapientiam, Verbum abbreviatum, Contemptus mundi, Soliloquium, Stimulus Divini amoris, &c.* addo ego, & *Gymnasium patientiæ*; quòd ars ea profectò nusquam alibi, aut meliùs tradatur, aut faciliùs condiscatur.

Eundem quoq; Christum crucifixum considerare hic possumus, ut vexillum expansum militantis in terra patientiæ: ad quod proinde militiæ gratiâ aggregari, ad quod inter pugnandum in proposito nobis certamine crebrò identidemq; respicere, ad quod denique ubi res deposcet, seu securitatis, seu virtutum confirmandarum gratiâ, refugere debeamus. In quem fortè sensum mellifluus Bernardus sermone quodam in Cantica, mortem Christi appellat *fortitudinis insigne.* Expressiùs autem Ugo Cardinalis, ad illud è Cantica: *Pone me ut signaculum super cor tuum;* ubi paucis, & pulchrè sanè, universas signaculi seu signi acceptio-

Gggg<sup>2</sup> nes

nes usq; comprehendit; quasi in hunc modum loquitur  
Christus: *Volo ut mei pro te crucifixi memoriam habeas; ut  
per te nihil nocivum intret aut exeat; ut mihi soli arcanum coe-  
lis aperias; ut speciei meae in te similitudo resulet; ut melio-  
rius amoris te ab omni alieno discernat; ut in castro tuo mihi  
semper vexillum appareat.* Sic ille.

Esto denique extremum hoc monitum: Si libentia-  
mo & hilari quâdam patientiâ crucem portemus; & ipsa  
portabit nos, atque inter adversos fluctus mortalitatis, ad  
desideratum felicitatis æternæ portum, securos lætôsque tra-  
ducat. Memorabile est, quod de S. Forannano Episcopo,

*Molan. Na-* Belgicæ tradunt historiæ, eum videlicet cum in Belgium &  
*tal. 30. A-* Scotia, divino monitu trajcere pararet, neque adesse tra-  
*pril.* vigium quo transportari posset, ligna duo, quæ fortè jace-  
bant in littore, inter se commissa in crucis formam compo-  
suisse, atq; in eam secum receptis socijs duodecim, in Gal-  
licas oras sic transmisisse. Quod, quâdam anagogicâ ra-  
tione, si equidem salvi esse volumus, necesse est nostrum

*Tract. 2. in* nicuique contingere. Ut enim ait S. Augustinus: *Cruce*  
*Ioann.* *Christi lignum est, quo mare transeamus. Nemo enim potest*  
*transire mare hujus sæculi, nisi cruce portatus.* Et alio in loco

*Serm. 2. de* Quoniam etiam in tali itinere abundant fluctus & tempestates  
*Verb. Apost.* *diversarum tentationum; in Crucifixum crede, ut fides tua li-  
gnum possit ascendere. Non mergèris, sed ligno por-  
taberis. Sed de his satis.*

